


IX, 89.

256s.







M. FRID. GOTTHELF. GOTTERI,  
SCHOL. EISENBERG. RECT.

# VITAE

ILLVSTRIVM ET CLARORVM  
VIRORVM,

QVI DVCATVM ALTENBURGENSEM TVM  
MERITIS, TVM SCRIPTIS MAXIME  
ILLVSTRAVERVNT,

QVIBVS

# ELOGIA

A. MDCCXIII EMISSA CONTINVANTVR.



---

I E N A E,

---

Apud ERN. CLAVD. BAILLIAR.

A. MDCCXXVII.

M. ERN. GOTTFRIED. GOTTFRI.  
SCHUL. HERRSCH. SECT.

# VITAE

ILLVSTRIVM ET CLARORVM  
VIRORVM,

QUI DVXERVNT ATTENTISSIMVM TVM  
SCELIVS TVM SCOPVLM TVM  
ILLVSTRARIIVM,

CVRVS

# ELOGIA

A. M. 1711. EMISSA. CONDITVS.



LENAE.

Apud ERN. CLAVD. BARTHAN.

A. MDCCXXII.



VIRO  
PERILLVSTRI GENEROSISSI-  
MO ET EXCELLENTISSIMO,

DOMINO  
IO. GEORGIO  
DE GEISMAR,

SERENIS. DVCCIS SAXO-GO-  
THANI ET ALTENB. MINI-  
STRO SPLENDIDISSIMO,

ET REGIONIS, QVAE CIRCULO COMITATVS  
EISENBERGENSIS CONTINETVR, GVBERNA-  
TORI GRAVISSIMO, DOMINO SVO GRA-  
TIOSISSIMO HOC SVBMISSA

MENTE

DEDICAT

FRID. GOTTH. GOTTERVS.

VIR

PERILLVSTRIS, GENEROSISSIME ET  
EXCELLENTISSIME, DOMINE  
GRATIOSISSIME,

**I**N multis, iisdemque diuinis, quibus  
Serenissimus PRINCEPS ac  
Dominus noster longe clementissi-  
mus nos afficit beneficiis, illud  
inprimis nominari meretur, quod nostrae ciui-  
tati, & isti adiunctae regioni TE, Virum  
EXCELLENTISSIMUM, dederit Guberna-  
torem summumque Moderatorem. Sic enim  
Eisenberga vere FRIDERICI Serenissimi  
filia, quippe quae eadem cura, ac Serenissimi  
FILLI digna, eundemque accepit Praesectum,  
quem filii Principes, cimelium vniuersae regio-  
nis, accipiebant in educatione Directorem, &  
in peregrinatione per multas Europae partes  
Ducem. Atque TV, Vir Generosissime, tam splen-  
dido muneri par, imo superior illo esse videris,  
cum subiectis ciuibus facilem concedas aditum,  
omnesque, quos hoc oppidum habet, pro condi-  
tionis ratione distinctos admiranda vultus gra-  
uitate, humanitate tamen singulari, miro pror-  
sus



sus naturae artificio temperata, & illustri Tuo generi prorsus conueniente modo habeas, iisque manus auxiliatrices porrigas, in vniuersum autem hoc, quo Te fert Serenissimi Domini Tui voluntas & officii ratio, rite efficias. Atque haec faciunt, vt cuncti Te rebus illustrioribus adhuc natum & accommodandum putent; cum nostra Eisenberga non ille campus esse videatur, quo explicare Tuam in tot regnis remotis acquisitam omnium rerum notitiam & experientiam possis; & ista linguas exoticas, quas fere omnes perfecte & loqueris, & scribis, attonita celebret; Excellentiam praeterea Tuam admiretur, Tuaeque se curae & consilio committat. In hoc omnium applausu quid Musae faciant? Certe Vir perillustis, & hae suam Tibi salutem commendant. Meus etiam se Tibi adfectus sistere iam pridem voluit, cum vero nihil haetenus inuenerim, is iubet, vt leues hasce pagellas submissa ratione offerrem, quae pondus tamen Tuo solius nomine acquirent. Accipe ergo illas fronte sereniori. Caeterum animum gratia plenum serua mihi, & si saltem augeri possit, auge. Pro hisce me totum in cultum & obseruantiam Tui penitus deuoueo. Eisenbergae d. VII. Aug. a. o. r. MDCCXXVI.



Lectori Salutem.

Quid, lib. II. Trist. dist. 321.

*Et pius est patriae facta referre labor.*

**C**ineres haec clarorum virorum, qui Altenburgi & Eisenbergae floruerunt, moui, & quae laudem habere videbantur, exi, nunc autem cum Luciani Timone. τὴν μὲν δικέλλαν ὀλίγου ἀναπαυοπάλαι πεπονηκῦαν. Forte adhuc quidam in obliuione latent, quorum vel merita iniuria temporis deleta, vel scripta aetatem non tulerunt. Multos tamen prudens omisi, tum ne auctori chronicorum Altenb. quicumque etiam futurus sit, hunc fontem prorsus exforbeam, tum quod Godofredus Ludouicus in Historia Rectorum & Scholarum, quas ego partes mihi sumseram, praecipuam occupauit, tum quod diuersi, qui vitas virorum, in diuersis vrbibus clarorum, descripserunt, ferias nobis fecerunt. Sic in vitis professorum Ienensium Zeumerus consilium meum praeuertit, dum Coleri, Fridrichi, & Zeiseldorum vitas recensuit. Hinc immerito nobis succenset auctor  
Dia-

Diarii Ienenfis, qui maxima admiratione ducebatur, cur Colerum Altenburgensem natiuitate, sed Professore Ienenfem omiferim in Elogiis, cum tamen meus initio modo claros, non qui Altenburgi nati, fed qui ibidem floruerant, & magnis meritis illufres extiterant, viros, recensendi animus efllet. Adieci tamen, quia latius in hac continuatione digreffus, & quaedam alia momenta fuccurrerent, vitam Coleri. Hanc vero continuationem in fic didis programmatibus proferre placuit, nam quae ex ludis proficifcuntur, multis inferiora lectione videntur: vitae autem clarorum virorum vel cognatione, vel alio modo gratorum a nonnullis leguntur adhuc & amantur. Ob continentiam rei vifum efl, hic nomina illorum, qui in Elogiis defcripti, repetere, vt in compendio illi cum his iuncti appareant. Sunt illi fequentes: Gabriel Didymus, qui Lutheri tempore vixit, & Paflor Prim. Alt. fuit. Wenceslaus Linck Paflor. Ge. Spalatinus Super. Auguftinus Himmelius, Pafl. theologus ex turbis de libro Interim notus, Alexius Brefsnicerus, Superint. Eberhardus Brifgerus, Superint. Andreas Mifenus, primum Paflor. Altenburg. fed poft Flacianifmi fufpectus, abiit Weifenf. Elaias Oswaldus, Sup. Altenb. Cafpar. Meliffander. Super. Iofua Lonerus, Super. Balthafar Mullerus, Super. Marcus Gerftenbergerus, Cancellarius, Abr. Suarinus, Superint. Generalis, Helias Foefter. Confil. Intimus & Confil. Praefes, Burcard. Lucanus, Conf. Aul.

Aul. & Praef. Consist. Caspar. Facius, Consil.  
 Aul. & Praef. Conf. Henricus Gebhardus, alias  
 Wefener, Cancell. Altenb. Martinus Mendius,  
 Consil. Aul. & Conf. Assess. Henricus Eccardus,  
 Superint. Generalis, Iosephus Clauderus, Rector.  
 Altenb. Thomas Reinesius, Polyhistor. Georg.  
 Freywaldus, Conf. Aul. & Consist. Praef. Bern-  
 hardus Bertramus, Cancell. Aegidius Hunnius,  
 Super. Gen. Arnoldus Mengerling, Super. Gen.  
 Ioh. Frid. Brand, Conf. Aul. & Iudex supremus  
 Curiae Prov. Ien. Iac. Freiesleben. Assessor. Consist.  
 & Pastor. Eccl. Cathedralis, Wolfgang Conrad  
 de Thumshirn, Cancell. Mich. Crellius, Eccl.  
 Cathed. Pastor. Mart. Casselius, Gen. Superint.  
 Tobias Seifartus, Rect. Schol. Sebast. Vrsinus,  
 Consil. Aul. & Consist. Praefes, Hector Pomerus,  
 Consil. Aul. Ludouicus Braunius, Concionat.  
 Aulicus. Ge. Crauserus, primum Rect. Altenb.  
 deinceps Super. Eisenb. Ioh. Christfrid. Sagit-  
 tarius, Super. Gen. Io. Freieslebius, I. V. Doct.  
 celeberrimus. Io. Thomae, Cancell. Ioh. Dietri-  
 cus de Schoenberg. Cancell. Gabriel Clauderus,  
 Medicus insignis. Fridericus Gotterus, I. V. Doct.  
 & Consul. ac Synd. Altenb. Paul. Martin. Sa-  
 gittarius, Consist. Assessor. & Eccl. Cathed. pastor.  
 Atque hos non dignitatis & officii, sed aetatis,  
 & anni, quo nati sunt, habita ratione collocaui,  
 quem ordinem naturae sum in hac etiam con-  
 tinuatione secutus.

VITAE

MATTHEVS COLLEGIVS

Alapungalis, P. P. Iuris laeant

in hac alienae civitatis, in qua hodie  
vixit, communitatem Colerum,  
hoc facere iurio, cum eligis  
in publico exponere) cum

VITAE

CLARISSIMORVM VIRORVM

MATT. COLERI,

IOH. CHRIST. GOTTERI,

BERNH. MVLLERI,

IACOB. IOD. RAABII,

DAV. FREIESLEBII,

IOH. RICHTERI

ET

HIQB. WAGNERI.



MATTHAEVS COLERVS,

Altenburgensis, P. P. Iuris Ienens.

**S**I alienae ciuitati, in qua floruit  
 vnice, committerem Colerum,  
 (hoc facere initio, cum elogia  
 luci publicae exponerem) cum  
 is Ienam maxime meritis illustrauerit,  
 fraudarem forte ea in re Altenburgum.  
 Quippe Colerus honesto inter nostros  
 loco ortus. Vir nulli secundus, iuris scien-  
 tia maximus, cogitatione celer, fide patri,  
 Simoni, senatorio viro, & fratri Iohanni,  
 Consuli Altenb. simillimus, natus ibidem  
 a. 1530. Perit, vbi, & a quibus doctoribus  
 institutus in iuuentute sit, memoria: forte  
 Vitemberga, foecunda litteratorum mater  
 illum imprimis doctrina ornauit; quam  
 etiam a. 1551. est Elegia quadam de *eclipsi*  
*lunari* tabulae publicae affixa, testatus.  
 Certe ab hac academia insignia doctoris  
 in Iure accepit. Hac dignitate ornatus,  
 in foro stare, causasque perorare coepit,  
 tanta quidem comprobatione, vt primus  
 fuerit, qui in communi Ser. Ducum Saxo-  
 niae Iudicio Curiae prouincialis, quod  
 Ienae

Ienae floret, Aduocati ordinarii officium & titulum gessit. Breui interposito tempore Professio Iuris ordinaria ipsi committebatur, quam magna auctoritate & commodo iuuentutis administravit, atque a. 1574. 1575. & 1579. Doctores in Iure creauit. Inerant autem illi non solum studia academica, sed alia ad res maiores gerendas praesidia, solertis ingenii vigor, vigilantia, auctoritas, eloquentia, in rebus agendis virtus, & apud Principes explorata fides. Hinc ab Augusto Electore a. 1571. Francofurtum mittebatur, vt comitiis Imperii interesset. Quid potuerat igitur academia Ienensi vtilius accidere, quam si hoc viro diutius frui potuisset; verum a. 1587. d. 22. Apr. inter viuos esse desiit. In sui tamen memoriam, reliquit non solum studiosis lautum stipendium, mille florenorum, de quo, itemque de fratris Iohannis legato, vt & de uxoribus illius, istarumque liberalitate in templa ciuitatis Ienensis legatur, si placet, Adr. Beyerus in Architecto Ien. p. 492. 545. 558. 703. sed orbi literato etiam haec scripta exposuit: I.) *Consolationem ad Frider. Rudolphum Curatorem Goth. lugentem obitum uxoris a. 1597.*

quae habetur tom. II. declam. Vitemb. p. 792.  
 (2.) Orationem de Ludouico Bauaro. (3.) Tr. de  
 processibus executiuis Ien. a. 1586. & 1596. Fol. &  
 1602. edit. (4.) De exceptionibus & praescripti-  
 onibus Ien. 1602. (5.) De origine iuris saxonici  
 Ien. 1586. fol. Decisionum Gemmam, pars prior.  
 Lipsiae prodit. 1603, pars posterior Francof. 1610.  
 (6.) Consilia Lipsiae 1612.

IOH. CHRISTIANVS GOTTERVS,

Superint. Gen. Gothanus.

**O**B arctam cognationem, qua Ducatus  
 Altenburgensis cum Gothano iungi-  
 tur, placuit, nostris Gotterum interponere:  
 multa tamen verecundia domestici fan-  
 guinis laudi subtraho, quippe plurimum  
 tribuendum illius memoriae esset. Quod  
 I. Reg. X. v. 8. regina Sabae ad Salo-  
 monem dicebat: *beati homines tui, beati  
 serui tui isti, qui stantes coram te iugiter audi-  
 unt sapientiam tuam*, id sibi applicuit Gotte-  
 rus, hac in re summam ponens felicitatem  
 suam, quod stare coram tam sapiente  
 tamque sancto Principe, ERNESTO PIO,  
 eique seruire posset. Vitae suae perio-  
 dum, longiori cursu descriptam inchoauit  
 Muhlbergae, oppido in Thuringia haud  
 incognito d. II. Apr. 1607. auctoribus An-  
 hardo Gottero, Icto, & Salome Emme-  
 rentia



rentia de Zedewiz. Pater equidem illum ob magnam, quae theologo incumbit, animorum curam & reddendam de illis rationem studio iuridico dicauerat, atque tum priuatim, tum in schola Ortrufenſi inſtitutum, Iehanque miſſum profeſſoribus crediderat, vt intelligentiam iuris filio inſtillarent. Chriſtianus autem Gotterus miro ſtudii theologiſi deſiderio tenebatur, illudque auctoribus Stahlſio, Hier. Praetorio, Io. Gerhardo, Io. Maiore, Himmelio, & Sal. Glaſſio rite ſuſcipiebat. Iuuenis igitur ingenio florentiſſimus, propoſito ſanctiſſimus, iisque ornatus doctrinis, quibus academiae gaudent, iterum domum contendebat: in via autem Kromayerum illum Vinarienſem, magnum theologum, ex reuerentia viſitans, ſua humanitate & erudita reſponſione ita occupabat, vt eum ſtatim haberet ſuo honori fauentem; tam enim voluntatis inclinatione propendebat ad noſtrum, vt ipſi munus paſtoris Muhlbergenſis offerret, quod oblatum tam felicibus auſpiciis ſuſcepit, & geſſit, vt a. 1641. Ser. Erneſtus illi praefecturarum Wachſenburg. Ichtersh. & Muhlbergae inſpectionem in Eccleſias & Scholas



loculo & sepulcro, Christo olim martyrii testes monstrandos, imponi voluit. Patre Iohanne Poligrapho, Rod. & auo, Iohanne, primo post reformationem Ruttersdorfensi pastore, a. 1611. d. 25. Sept. procreatus est. Parentibus autem mature decedentibus, & filium, vt fit, egenum relinquentibus, disciplina nostri & educatio paupertate magistra stetit, & prouecta est. Namque in schola Gerana & Acad. aquae potu quam optime, & melius etiam bacchantibus eo tempore, & Ienam turbantibus crevit & auctus est. In hoc Prytaneo cursu studiorum sub Stahljo, Gerhardo, Himmelio, Maiore absoluto, informationi puerorum nobilium operam dedit, post a duce bellico electorali, Wilhelmo de Vizthumb, vt militibus in rebus sacris adesset, pastorisque munus gereret, delectus est: hinc exercitum secutus, per Poloniam, Bohemiam, Morauiam, Misniam, Thuringiam, Saxoniam inferiorem, Brandenburgum, Pomeraniam, & Megalopolitanum ducatum iter non sine commodo studiorum fecit. Moriente autem Vizthumbio, primum Grolbigam, deinde Seitenrodam ac demum in ipsum Rodae oppidum, initio, vt Diaconi

postea, vt Adiuncti etiam munera gereret, est vocatus. In his multos annos fecit & d. 18. Aug. 1683. denatus est. Disputationes sub Himmelio habuit duas, *de sacramentis in genere, & de baptismo*, quae in Collegio Antifociniano Himmelii typis exscriptae extant.

IACOBVS IODOCUS RAABE,

Medicus & Archiater Altenb.

**H**ic clarissimus doctrina & vsu medicus natus est die 12. Ian. a. 1629. patre Magistro Iodoco Raabio, Ser. dum viveret, IOHANN. CASIMIRI, Ducis Saxo Coburgensis archiatro, & hoc demortuo Physico Prouinciali Hildburghufano, illiusque scholae Rectore. Patre autem mature decedente, sub matre difficillimis bellitricennalis temporibus & fluctibus, in summa, vt fit, egestate adoleuit, & hac tamen magistra bene processit, namque in Gymnasio Casimiriano, quod Coburgi floret, a Rectore Frommanno & Spintlero aliisque literis rite imbutus est, vt etiam a. 1649. in Almam Leucoream se digne verteret. Ibi arrepto studio medico, ad quod suscipiendum bibliotheca a patre relicta hortabatur, disputauit 1651. de *constitutione*  
phy-

physicæ a. 1652. de auro 1653. de osse occi-  
 pitis & 1654. de podagra. Satur autem do-  
 ctrinae abiit Vitemberga Helmstadium a.  
 1655. vt ibi Conringium audiret: ac voti  
 compos Seruestam, vt praxi medicæ ope-  
 ram daret, delatus, atq; mox doctoris titulo  
 a Ien. Fac. ornatus est, cum 1656. sub Rol-  
 finkio de *sputo sanguinis* disputauisset. De-  
 inceps peregrinationem in Belgium sus-  
 cepit, ex quo ad Britannos transire medi-  
 tabatur, sed vocationes oblatae & res fa-  
 miliaris mutabant consilium. Primum igi-  
 tur Romhildæ, deinceps Meinungæ Phy-  
 sicus Prouincialis est constitutus. A. 1669.  
 Altenburgum vocatus est, vt archiatri mu-  
 nus efficeret. Sed vix cum Altenb. ingressus,  
 Ser. Dux moriebatur, quamquam autem  
 Raabio cura sanitatis Ser. filii committeba-  
 tur, tamen fiebat, vt hæc linea in Friderico  
 Wilhelmo extingueretur, & regio ad Ser.  
 ERNESTVM a. 1672. deuolueretur. Hoc facto  
 noster a. 1680. a Ser. FRIDERICO Gotham  
 translatus, vt archiatri munus expleret.  
 In hoc stetit vsque ad II. Ian. 1708. quo  
 morte beata vitam finiit, annos septua-  
 ginta nouem natus.

## DAVIDES FREIESLEBIUS,

Praetor oppidanus &amp; Syndicus Eisenb.

**N**Equè silendus est, neque sine cura dicendus, virtute eximius vir, disertus, doctrina iuris, vigore ingenii atque animi praestantissimus, amore in eives pater, qui rectissima semper voluntate populi commodum quaerebat: natus est d. 9. Nov. a. 1636. Daide, Redituum Ducalium praefecto, & poligrapho Eisenb. Cum vero eo tempore nostra schola nondum rebus academicis inseruiret, Freieslebius quidem in illa fundamenta pietatis constitutebat, ceterum ad studia rite ponenda Arnstadium mittebatur, vt institutione Rectoris, Stechhanii auctus, ad maiora rite transfret: id quod etiam a. 1653. factum, cum Ienam ingressus, doctores Iuris, Richterum, Struuium, Bechmannum Falknerum, Strauchium, Schroeterum, Institutiones, Digesta, Nouellas, ius Canonicum, Feudale & Publicum docentes magno studio, parique vtilitate audiret. Videbatur autem is diu studiis academicis immorari, inprimis, cum alios etiam doceret & gubernaret, victus tamen amore,

quo

quo senem patrem prosequatur, Eisenbergam rediit, illius vices administraturus. Mortuo patre, est voto vniuersae senatus concionis & succclamante populo a. 1666. Syndici & a. 1674. consulis, vel vt hic loqui amamus, Sculteti munera adeptus, quibus a. 1681. Redituum Ducalium praefecti dignitas est addita. Vtebatur autem tum in officiis variis, tum consiliis, tum matrimonio felicitate inter nostros praecipua, nam septem filios & genuit, & educauit, & plurimos honore ac officiis amplificatos vidit, idque pietati inprimis & cultui diuino integro tribuimus. Quoties enim templi sanctissimis religionibus sacrati, & diuini domicilii fores aperirentur, siue ad conciones instituendas, siue preces publice habendas, en Dauides Eisenbergensis introibat primus, Dauidis illud: *Domine, quo tuus habitat honor, locum amo*, subinuens. In his & officii negotiis eum Christus occupabat d. 27. Nou. a. 1711. occidua iam aetate, nam septuaginta quinque annos natus excessu placidi soporis simillimo ad Deum euolauit.

## IOHANNES RICHTERVS,

Consil. Aulicus Altenb.

**Q**uid potest nomen ac dignitatem clarissimae Richterorum gentis magis amplificare, quam honor ille, quo haec familia iurisdictionem altam & bassam in ciuitatem Altenburgensem exercuit? Hanc certe per tria secula continuauit; stabat nimirum in illa Iohannes Richterus, Iudex hereditarius & scultetus Altenburgensis usque ad annum 1507. quo haec iurisdicctio vrbis Electorū FRIDERICO ex variis rationibus sub conditione certorum priuilegiorum, a seniore familiae percipiendorum vendita est, quam deinceps senatus Altenb. impenso sibi parauit pretio & acquisiuit, ita tamen, vt reui a supremo magistratu posset. A tam parua origine & fonte tenui ad tantum fastigium profecta auctoritas, qua nunc floret, senatus: namque ab anno 1525. vsque ad haec tempora, hos potissimum habuimus Consules ac Syndicos. Leonhard. Hassium & Wolfg. Faelcknerum, Poligraphos superiores, Nicolaum Melhorn, Consulem, Iacobum Springerum, Conf. Iac. Reising. Polig. Cunrat Hassium, Conf. Christ. Baumgaertner. Conf. Abrah. Alberum, Conf. Mich. Reisingerum, Polig. Super. Donat. Alberum polig. infer. ab a. 1600. Andr. Buchnerum Conf. Ioh. Vogelgesang. Polig. Sup. Dauid. Schmidium, Conf. Petr. Magwiz, Praetorem Io. Hietzscholdum, Conf. And. Naundorf. Praetor. Casparem Boehme,



me, poligr. Sup. Clemen. Iesnerum, Conf. D. Koenizerum, physicum prou. & Conf. Valentin Scheibium, poligr. Hadrian Beckerum praetor. Thom. Kresse, praet. Iac. Weisium, Conf. David. Fellerum, praet. David. Schmid. 1624. Conf. Christoph. Wallburger. Conf. Doct. Iesnerum, Conf. & Clem. Iesnerum, praet. Ioh. Hammerich, polig. D. Wilhelm Merck primum Syndic. 1633. Ioh. Gerbing. praet. Io. Andr. Nicolai Conf. Laurent. Gemeinerum, Conf. Io. Christ. Richterum, 1647. Conf. Martin Preiserum praet. Eliam Kühnium, poligr. Io. Mullerum, Conf. Andr. Kaestener. David Faberum, Conf. Christ. Krügelstein praet. Gerh. Riz. Praet. Georg. Keppichen, praet. Tob. Iesner. Conf. Ioh. Phil. Eckart. Conf. & Sup. Red. duc. praefect. & a. 1667. D. THOMAM REINESIUM phy. prov. & Conf. Recentiores autem, quorum memoria adhuc viget, nempe Grauerum, Synd. Ehrlich. Conf. D. Gotterum, Conf. & Synd. Colerum Conf. Vaterum, Conf. Seifgen, Conf. D. Kuberum, Conf. & hodie viuentes D. Poppigium nup. Synd. Rudigerum Thomaeum, Conf. atque Schnetterum Synd. & Redit. ducal. praef. quiq; dignitatem Senatus ad altiore gradum peruexerunt, non moror, & ad Richterum, a quo diuertit oratio, redeo. Is d. 24. Aug. a. 1644. patre Ieremia Richtero Pastore Mehnae & deinceps Cosmae, & quidem Altenburgi [quia mater Rhothia Altenburgi parere filium volebat:] natus est. Post institutiones variorum tum publicorum scholae

MOBY

Al-

Altenb. Doctorum, tum priuatorum informato-  
rum Ienae initiatus studio iuridico est, Lipsiae  
auctus & Vitembergae perfectus scientia recti.  
A. 1668. peregrinationem suscepit in Belgium,  
Angliam & Galliam, & harum regionum vrbibus  
praecipuis, moribus, legibus & statu politico probe  
cognitis in patriam rediit. Hic, cum causas agere  
constituisset, vtque eas maiori auctoritate gereret,  
a. 1571. Francofurti ad Oderam Gradum assumpsit  
habita prius dissert. sub Stryckio de *sententiis &*  
*interlocutionibus omnium iudicum*. Cum autem  
in externis prouinciis altioribus se aptasset rebus,  
quam praxi forensi, primum 1683. a Ser. Duce  
Sax. Saalfeldensi Dom. 10. ERNESTO Saalfeldam  
vocabatur, vt praefecti aerarii & Consiliarii Cam-  
merae officia gereret; deinceps, cum a. 1695. vi  
recessus inter Ser. Duces Saxoniae Dux. Saalfelden-  
sis & Eisenb. suos Consiliarios in supremis Collegiis  
Altenburgi haberent, resque has prouincias atti-  
nentes tractarent, Richterus 1696. officia splen-  
dida Consiliarii aulici in Ducalis Regiminis Colle-  
gio & Consiliarii in Illustri Consistorio adeptus est,  
suoque principi quadraginta annis deseruiit, &  
d. 8. Apr. 1720. in fata concessit. Vir sanctissi-  
mus, & de re sua proluxa cumulatissimae in pau-  
peres voluntatis; non seculi huius, sed omnis aevi  
optimus; serenae infuscato turbinibus aere fron-  
tis, aliorum aequissimus iudex, & *κατανοήσιος* in-  
fensissimus hostis.

HIOBVS

HIOBVS WAGNERVS,

Confil. Aulicus Altenb.

**G**Otha, multorum illustrium virorum mater, patre Iohanne, initio milite superioris ordinis, postea vero in toga ibidem viuente a. 1654. hunc excellentissimum virum luci exposuit, & in litteris humanioribus erudiuit. Praeter Ienenses Iuris Doctores inprimis Iobum Ludolphum, patrem spiritualem, est secutus, qui in multis & arduis, quae committebantur, negotiis Wagnerum sibi comitem & administrum esse volebat. Sub tanto magistro ita proficiebat, vt Ser. Duci Romhildensi HENRICO innotesceret, qui nostro munus Secretarii Camerae a. 1680. demandabat. Quo rite administrato Eisenbergam a Ser. Christiano, Principe quondam pie memoriae nostro, clementissimo a. 1685. vt Secretarii intimi officium gereret, accersitus, cui 1693. Ballivi functio addita. In hoc splendido officio cum approbatione Serenissimi stetit pluribus annis, usque tandem Consiliarii aulici Altenb. dignitatem est consecutus; ibi etiam d. 8. Feb. a. 1710. viuendi finem fecit, & laudem iustitiae, variarumque virtutum reliquit. Fuit enim vir innocentia eximius, sanctitate praecipuus, eloquentia maximus, officii suis nunquam ad impotentiam vsus, pene omnium votorum compos; a toga enim virili magni politici Ludolphi commilitio assuetus singulari rerum politicarum prudentia auctus est, eamque in tota vita probauit.

Quan-

Quantum ad actum nostrum, Primum CASPAR. FROELICHIVS, Weisenborna Eisenberg. prodibit, suosque profectus oratione Lat. ligata de *natura Poeseos Germanicae* profitebitur. Hic autem iuuenis, qui apud nos rite tirocinii scholastici annos expleuit, & duobus in actibus iam perorauit, nobisque se obedientia & moribus commodis probauit, ac diligentia nostraque institutione vsus, in stilo, Graecis, & poësi fundamenta recte constituit, dignus iam est, vt ad altiora dimittatur. Abitum illi gratulabuntur Fridericus Augustus Schmidius Altenb. & Ioh. Christianus Groebizius Weissenfels.

Deinceps IOH. SAMVEL MASCKMULLERVS, Calensis, ingenio haud inepto ad litteras praeditus, quique se diligenter ad illas refert, exercitii causa orationem Latinam habebit de quaestione, *an Christus, ve quidam tradunt, in collegium Leuitarum sit receptus.*

Tandem CAROLVS FRID. LINCK, Eisenberg. iuuenis bona indole ornatus, quique studia magno conatu prosequitur, & spem optimam nobis de consequendo praestituto fine adfirmat, is dicet & aget de iis, qui *dignitatem Messiae affectarunt.*

PRO-

PROGRAMMA  
QVO  
VITAM  
SERENISSIMI QVONDAM PRINCIPIS  
AC DOMINI  
DOMINI  
CHRISTIANI  
DVCIS SAXONIAE IVL. CLIV. MONT.  
ANGARIAE ET WESTPHALIAE, CETERA.  
RECENSET EOQVE  
ACTVM

IN ILLIVS PIAM MEMORIAM HABENDVM  
INDICIT  
ET AD ILLVM

PERILLVSTREM ET GENEROSISS.  
PRAEFECTVM PROVINCIAE

EXCELLENTISSIMOS ET AMPLISSIMOS  
SCHOLAE INSPECTORES INQVE HIS  
MAXIME RBV. PRAESVLEM, OMNESQVE QVOS  
EISENBERGA HABET MVSARVM PATRONOS AC  
FAVTORES VT CRAS HORA II. POMERID. IN  
NOSTRO CHRISTIANEO APPAREANT EA  
QVA PAR EST HVMANITATE

INVITAT

M. FRID. GOTTHELF. GOTTERVS  
RECTOR SCHOLAE.

---

EISENBERGAE LITTERIS FLEISCHERIANIS.



Q. D. B. V.

**C**HRISTIANI Serenissimi, Ducis quondam Saxo-Eisenbergensis, Principis omnino laudabilis, multisque tum virtutibus, summis hominibus dignis, tum praeclaris actionibus & beneficiis in terram suam inclutissimi ac immortalis memoriam recolimus, vitamque ipsam eo libentius describimus, quo magis est posteritatis memoriae commendanda. Ortum suum illustrissimum debet Ser. patri ERNESTO, Duci Saxoniae, & matri ELISABETHAE SOPHIAE, Duci Altenb. ex quibus parentibus die VI Jan. MDCLIII. in lucem hanc prodiit. ERNESTVS autem, quem ob religionem pium vocare solemus, & ob prudentiam optimamque vitae rationem sapientem deberemus, cum videret, quae sit in filiis educandis solertia opus, quamque exitialiter peccent patres, siue Principes sint, siue vilioris conditionis,  
fi

si vel ad id, quod ad gloriam, voluptatem, delectationes proprias, vel ad rem familiarem augendam facit, animum intendunt, neglectis omnino liberis, qui interim sibi relictis, variisque imbuti vitiis & animo prorsus corrupti, familiae sunt dedecori, & nummos anxie quaesitos cito dilapidant: e contraria parte Ser. ERNESTVS imprimis filios Principes curabat, deque illorum accurata educatione sollicitus erat. Hinc Ser. CHRISTIANVS in iuuentute, horis, a matutina sexta vsque ad sextam vespertinam, & ita per integrum diem variis scientiis a diuersis doctoribus auctus est. Namque Paulus Kuhnholdus tunc Ser. iuuentutis informator, post ob dignitatem consiliarius camerae, illi admodum adolescenti Cornel. Nepotem explicabat & scholam, vt vocatur, latinitatis, praeterea politicam Lipsii, historiam vniuersalem, geographiam, trigonometriam & oratoriam; Christophorus Bachouius vero, professor postea Tubingensis in theologia nostrum, in institutionibus Iustin. inque vera stili tum latini, tum germanici notitia luculentissime instruebat,

bat. Appositi tandem linguarum exoticarum & exercitationum corporis magistri, & quidem Mirambavius, Gallus, qui linguam gallicam docebat, adhaec Reichshofius, qui CHRISTIANVM equo frenato vti condocebat: appositi in ludo alias nostro incogniti, ludi athletici, saltationis pilaeque magistri. Ista autem animi & corporis exercitia ne frustra fierent, aut fieri saltem viderentur, ERNESTVS ipse informationis inspector erat. Is enim si forte, quod saepius vel necessitate, vel salute publica motus faciebat, itinera ad vrbes vel pagos suos susciperet, vnum ex septem filiis, quo aut molestias itineris falleret, aut si breuior via, profectibus eorum delectaretur, secum trahebat comitem, adhibito alterutro informatore, qui examinaret adolescentes: ac deinceps his quasi cursoriis examinibus non contentus, solenniora instituebat, conuocatis viris litteratissimis, quos Gotha habebat, arbitris. Studia tam bene constituta perficienda nunc in academiis & peregrinationibus videbantur. Prudenti igitur consilio CHRISTIANVS studiorum amplificandorum causa Argentora-



toratum profectus, ibique a celeberrimo Repphahnio, Salzmanno, Stoffero aliisque scientia iuris publici ac civilis ornatus est. Cum vero ERNESTVS vt natu maximum & haeredem prouinciarum Ser. FRIDERICVM, post laudabile regionis imperium in aeternas illas beatorum sedes mature euectum, cumque Deo coniunctum, seorsim, deinceps vero coniunctim filios, Albertum, Bernhardum & Henricum, quo externas regiones perlustrarent, anno MDCLXVIII. mitteret; ita anno MDCLXX Christianum additis de nouo Bernhardo & Henrico, vt vrbes Belgii foederati inuiseret, exterisque oras lustraret, abire iubebat, datis comitibus generos. Wilhelmo de Geismar Directore itineris, Kuhnholdo, Bachouio, informatoribus, ac Henrico Fergio, in itinere pastore, post, ob merita ad splendidum praesulis generalis Gothani munus euecto. Primum iter ad prouincias Belgii foederati spectabat. Peregrinantes multi si vrbes celebriores salutant, vel in popinis latent, vel theatri affident, vel saltem in exterioribus & splendidis aedificiis haerent oculis, parum curantes, quae ad

naturam & conditionem vrbis, quaeque ad rationem regiminis & religionis pertinent: noster Princeps alio prorsus modo iter fecit. Nouiomagum enim, urbem foedere pacis fatis nobilitatam ingressus, aedem S. Stephani visitabat, & praeter alia monumenta notabat praestantissimum artificio epitaphium Catharinae Bourboniae, coniugis Caroli, Ducis Valesii: deinde collegium academicum perlustrans inciderebat in versus turri inscriptos, & decalogum referentes, qui, uti Ser. quondam Duci nostro digni, ut describerentur, visi, & nobis, quos transcribamus, videntur:

*Non aliena tuis venerabere numina votis.  
 Sume Deique tui vanos nec nomen in usus.  
 Septima sacra coles opera feriatas ab omni.  
 Semper honore tuos merito verere parentes.  
 Non hominem quenquam crudeli morte necabis.  
 Alterius caueas lectum temerare iugulem.  
 Non furtum facies, digitos cobibebis ab illo.  
 Testis es accitus, nihil attestabere falso.  
 Nullius affectes spatiosam tecta per urbem,  
 Alterius nuptam, seruos, famulas & asellos.  
 De professoribus deinceps huius academie sollicito, deque numero studiosorum*

re.

responsio dabatur: cognoscendi inscriptiones cupido multae sententiae monstrabantur, item sex gladii, quibus carnifices hispanicae inquisitionis cum multis aliis Egmontum & Hornium Bruxellis interfecerant. Consideratis, quae in collegiis doctorum digna notatu videbantur, CHRISTIANVS cum fratribus visebat cameras & conclauia statuum, quibus in varias antiquitates & monumenta deprehendebat. Neque vero de his modo quaerebat, sed de forma reipublicae etiam, de iure tum ciuili, tum criminali, de appellationibus in rebus maioris momenti, de ciuium numero, de commerciis, de priuilegiis, de militia, de religione, huiusque exercitio, de nobilitate, de dignitatibus praecipuis, & quae tradebantur, vel manu propria consignabat, vel, vt chartae inscriberentur, mandabat. Tot iucundis relationibus satiatus, Aquisgranum, Arenacum, Doesburgum, Zutphaniam, principem regionis urbem, Dauentriam Zwollam, ac demum Amstelodamum ingrediebatur, illasque ciuitates eodem considerabat, vt supra diximus, modo. Si enim perge-

remus, vt instituimus commemorare solertiam & diligentiam in suscepto itinere adhibitam, obseruata epitaphia, inscriptiones, aedificia, paullo productior & quasi immoderate excurrere oratio esset futura, cum vel itinera Christiani iustum fasciculum constituerent, nos vero intra angustos programmatis limites verseremur. Breuitatis ergo, quo delectamur, aliosque delectare videmur, studio cursum modo itineris, non modum damus. Tunc quidem ex Belgio certis de causis remigrabat. Secunda vice CHRISTIANVS exclusis fratribus, regnum Galliae visitabat, magistro itineris Dom. ab Erffa, secretario Auemanno, & pastore itinerario Casp. Neumanno, magni nominis theologo. Hoc autem iter interpellabatur morbo Ser. patris, namque hoc ingrauescente domum reuerti cogebatur. Quae fuerit illius cupiditas celebres regiones, inque his res dignas cognoscendi, vel ex hoc existimes, cum tertio, nempe a. MDCLXXV. iter in Hungariam & Italiam susciperet, & quidem duce itineris vsus Dom. de Hahnstein, & de Wazdorf postea aulae magistro, ac Auemanno, comitibus itin-

ne-

nerariis. Initio quidem Norimbergam,  
 Ratisbonam & Viennam transibat: de-  
 inde ex Germania in Hungariam iter  
 facere instituens Presburgum, Leopoldi-  
 num, Comoram, Arrabonem, & mox  
 rediens iterum Vindobonam, Ducatum  
 Carinthiae, Carniolae, Forum Iulium,  
 Venetias, postea per Longobardiam Ge-  
 nuam, & inde reuersus per Venetias tran-  
 siens Lauretum & Romam considerauit,  
 deinde Florentia & vicinis vrbibus salu-  
 tatis, Gotham rediit. Absolutis tam fe-  
 liciter, tamque vtiliter peregrinationibus,  
**CHRISTIANVS**, omnibus, quae prin-  
 cipem ornant, virtutibus auctus, sedem  
 ducalem accepit Eisenbergam, eamque a.  
 MDCLXXVII. felicissimo auspicio intrauit,  
 & hanc vrbem triginta annis aulico fa-  
 stigio ornauit. Quid tam longo spatio  
 confecerit, quibusque rebus illustrem  
 vitam exegerit, quaerere B. L. mihi vi-  
 deris. Praeclara certe, longiorique com-  
 mentatione digna peregit. Quamprimum  
 igitur sibi a summo vniuersi orbis terrarum  
 rege creditam ac commissam curam terrae  
 Eisenbergensis susciperet, se omnibus  
 obstrictum officio arbitratur, & in se

omnium oculos coniectos existimabat, se dignitatem suam quasi in aliquo orbis terrae theatro gerere credebat, sibi rerum sacrarum procurationem esse datam, sibi populi gubernationem, sibi leges custodiendas, sibi totam regionem iustitia ac gratia tuendam esse, intelligebat. In multis autem immortalitate dignissimis eius actionibus nominare hic libet singularem & eximium erga studia amorem. Quanquam enim noster ornatissimus & optimus Princeps multis aliis virtutibus excellebat, nihil tamen sapientius & prudentius fecisse videtur, quam quod anno MDCLXXXIIX. ludum litterarium & scholam prouincialem excitauerit, ex qua tum uiuo adhuc illo, tum mortuo etiam prodire iuuenes, qui fundamentis doctrinae optime instituti, iam in officiis vel sedent, vel eis digni, certissime promotionem sperant, qui mensa liberali largiter sustentati, huius, cineribus iam inuoluti Principis munificentiam memoria sempiterna colunt, quibusque quotidie alii accedunt, quique immortale nomen CHRISTIANI facient. In rebus etiam ecclesiasticis se patrem praebuit, non solum, quod plura  
in

in pagis templa suis fere subsidiis extruxit, sed etiam reuerendo ministerio nostro Diaconum admouit, qui partem oneris sacri in se susciperet. Namque defendit pietatis nomen gloriamque, quam a patre acceperat, quam puer amauerat, cui innutritus erat, non solum, vt coleret illam, nam hoc & alii vilioris conditionis homines facere tenentur, sed etiam, vt defenderet religionem, vt propagaret, dignisque pastoribus ecclesiam ornaret. Repudiatis igitur omnibus, quos vel in eligendo ad munera sacra patroni quidam, vel in ambiendo candidati adhibent, modis, magna semper diligentia & cura animi, vt qui corruptos studiosorum mores aduersaretur, ad ministros verbi diuini legebatur viros non doctos modo, nec speciem pietatis prae se ferentes, sed qui eruditionis laude & spectata probitate morumque integritate conspicui erant. Ipse autem christianae pietatis suae ardorem non hoc solum probabat, vt aedem sacram principali cultu ornantissimam frequenter introiret, non, vt ex suggestu perorantem assidue auscultaret, non reliquis, quibus in multi pii existimari volunt, sibi-  
que

que videntur, sed vira fidei conueniente demonstrabat. Pauperibus enim tum litteratis, qui nudi a pecunia, studia inchoata proferre tamen volebant, tum aliis miseris & fortunis euolutis hominibus tam luculenta paterni amoris signa ac pignora dabat, vt illis studiorum subsidia praeberet, his autem, cibo, vestibus, nummis succurreret. Inque beneficiis tribuendis non quam digni essent, vel indigni, qui peterent, sed quam miseri, videbat: ipsius Dei exemplo, qui vel vnice calamitatem hominum respicit, non opera, cum omnes, qui bona accipimus, illa non meremur, sed ex gratia acquirimus. Viuit igitur CHRISTIANVS in templis, laudatur in schola, nominatur in iudiciis, viuit in sermonibus & animis ciuium, qui in memoria eius consenscunt quasi, & beneficia gratiose tributa retinent. Neque vero hoc, quod de laude illius dixi, satis est, sed plura fecit, quae sunt omni laude, praedicatione, litteris, monumentis decoranda. Verum enim vero cum haectenus multis actibus publicis memoriam piam illius renouaverim, & in singulis fere programmatibus peculiarem eius virtutem vel actionem prae-



praecipuam exposuerim, illaque program-  
mata nuper de nouo typis expressa orbi  
litterato commiserim, iis iam supersedeo.  
Sed coniugium, quamuis vel maxime id in  
eruditorum virorum recensendis vitis ne-  
gligamus, cum docti nobilitatem non a  
parentibus, sed doctrina accipiant, in Prin-  
cipe tamen, qui ex matrimonio creat &  
filios principes, & regioni simul patres, haud  
est dimittendum, eo inprimis nomine, vt  
appareat, quod dignitas generis conseruata  
ab utroque sexu ad maiores longe remo-  
tos adscendat. Hinc Ser. Christiani con-  
iugium, vt vt filiis exinde procreandis,  
sterile, non omittendum tamen est. Pri-  
mum CHRISTIANVS CHRISTIANI I.  
Ducis Saxo Martisburgensis filiam die XIII.  
sept. MDCLXXVII. duxit, eandem vero a.  
MDCLXXIX. in palaestra foeminei sexus  
partu difficili occumbentem, & filiam  
cognominem relinquentem, quae quidem  
Duci Holfatiae Glucsburgensi PHILIPPO  
ERNESTO feliciter elocata, nuper tamen  
morte praematura extincta est, amisit.  
Hac mortua in matrimonium assumpsit  
SOPHIAM MARIAM Comitis Pro-  
uincialis Hassiae LVDOVICI filiam, e-  
men-

mendatissimi exempli foeminam, quae ita complexa coniugem est, vt nulla alia maiore fide, studio, cura complecti maritum & prosequi vnquam potuerit: cumque haec Ser. Dux die XXII. Aug. MDCCXII. tempore, quo ego munus scholasticum susceptum gererem, e vita discederet, illius vitam prolixè recensui. Noster autem tam laudabilis princeps, tam liberalis, tam iustus, tam in omni fortuna temperans, omnibusque vitæ partibus moderatus, tam in aduersis rebus patiens, tam in calamitate quietus, tam in consiliis & capiendis prudens, & exequendis firmus; tanta porro vsus erga cunctos humanitate & gratia, vt cuius aditum concederet, tanta praeditus mentis sagacitate, vt res difficillimas naturae pariter ac politicas intelligeret, tanto consilio plenus, tanta denique firmitate corporis colorisque rubedine instructus dignus omnino videbatur, qui etiam vita & hoc communi nobiscum spiritu longius frueretur: inprimis, cum, quod ad diutius viuendum inuitare eum magnopere posset, praeter ciuium suorum curam & amorem, quo maxime tenebatur, haberet terram suam florentem, omnique

rerum copia abundantem, haberet omnia, quibus oculos pascere posset, animumque exsaturare. Quod tamen est felicitatis terrestris ab aeterna illa in coelo piis parata discrimen, quae distantia, quae varietas, quae vanitas, quae mutatio; quaeque e contraria parte illius perfectio, constantia, securitas; CHRISTIANVS vtut ex omni parte beatus, quique prosperis successibus vbique laetabatur, emergere tamen ex hac omnium delectationum quasi nocte videbatur ad supremam illam lucem, & de morte sua, vt iam praesente ad ministros suos aulae, illud vel credere nolentibus, saepe sermonem faciebat. Ser. igitur Christianus tabe, lento illo, atque difficili malo attenuatus vitam laudabiliter actam non minus laudabili fine conclusit, & die XXVIII. Aprilis a. MDCCVII. excessu placidi soporis simillimo, corporis vinculis exutus, in illas sedes, in quibus puri a scelerum contagine animi post obitum versantur, euolauit, ubi in coelestium concilio collocatus, modis omnibus beatissimus est. Quae nostra est erga munificentissimum statorem pietas, illius memoriam iterum reuocabimus orationibus ab alumnis habendis.

Pri-

Primum quidem *Ioannes Bodo Vlrici*, Haynroda-Schwarzb. iuuenis animi bonitate instructus, litterarumque humaniorum fundamentis rite imbutus prodibit, & oratione latina aget demilitia principe non indigna.

Secundo *Salomo Gottlieb Schorcht*, Bobeca-Vinariensis, iuuenis tum praeclaro ingenio, tum litteris humanioribus, tum moribus etiam ornatus, oratione graeca peregrinationes Christiani recensebit.

Tertio *Ioannes Georgius Langenbach*, nostras, surget. Hic iuuenis ut pollet ingenio ad omnes honestas artes ac disciplinas docili, non ita pridem oratione libera suos in latina lingua profectus testatus est, iam vero carmine heroico generi adstricto de constantia principi conueniente dicet.


Tandem *Caspar Froelich*, Weisenborna-Eisenbergensis, iuuenis optima indole & profectibus haud contemnendis, morumque elegantia instructus de eruditione, ut summo principis ornamento perorabit. Singuli hi adolescentes non committent, ut auditoribus Videantur transire eos terminos, quos consuetudo recepta exercitationibus scholasticis posuit. P. P. Eisenbergae. d. Martii a. o. r. MDCCXXIV.

189 (6) No. 1  
CASPAR SAGITTARIUS  
Theol. Doct. & Prof. etc.



**PROGRAMMA**  
**AD ACTVM**  
**VALEDICTORIVM**  
**QVO VITAE**  
**CASPAR. SAGITTARII**  
**HENRIC. MATT. BROCKII**  
**ET**  
**GOTTFR. ROSENTHALII**  
**RECENSENTVR.**





CASPAR SAGITTARIUS,  
Theol. Doct. & Prof. Hist. Ien.

**V**itas clarorum virorum, qui ducatum Altenburgensem vel meritis, vel scriptis potissimum illustrauerunt, quasque non ita pridem nomine Elogiorum inchoauimus, omnino continuabimus. Cum tamen ii, qui scriptis inclaruere, iustum fasciculum non constituent: visum est, oblata quacunq; scribendi occasione, maxime in programmatis, quibus vel more in scholis superioribus frequentato, vitae non tantum omnium mortuorum recensentur, id praestare, additis aliis etiam vel urbibus, vel pagis, qui vno ducatus Altenburgici nomine continentur. Hinc Sagittarium, Rectorem scholae Salfeldensis, obque id officium nostrum, sisto. Equidem est eius vita ab aliis etiam descripta, nos tamen ex diuersis ipsius auctoris litteris ac documentis compositam dabimus. Noluit certe beatus memoriam extinguere suam, sed post fata perstare: quippe seriem generis sui libro de *ianuis veterum* praemisit.

misit. Huic igitur Caspari Sagittario ortum  
praebuit Lunaeburgum a. MDCXLIII.  
die XXIII. Sept. patre clarissimo, cuius &  
nomen gessit, & professionem initio secu-  
tus est. Erat enim Rector Scholae Lunae-  
burgensis & auctor optimi filii, adeo, vt  
addubitemus, vtrum patrem filius, an  
filium pater magis illustrauerit, an vero  
sociatis viribus ad familiae laudem labo-  
rauerint. Splendent tamen & coniuncti,  
& separati. Vt autem parentibus aequalis  
constaret laus ac gratia, noster inprimis  
praedicat matris in informando ingenium  
& diligentiam: quae filium in principiis  
religionis bene institutum patri tradide-  
rit; vt maiori scientia augetet. Atque  
hic filio parens plures obstructas ad veram  
eruditionem vias muniuit, eique pulcre  
probavit, quod nemo possit ad rerum an-  
tiquarum venire notitiam, nisi sit graecis  
pariter ac latinis litteris probe instructus,  
& a primis quidem annis eo adductus.  
Id Sagittario tempus erat a teneris vngu-  
culis vsque ad decimum sextum annum.  
Transactis autem his laudabiliter annis,  
filium pater aliis magistris prudentex  
committebat: siue quod more plurimo-

rum patrum maiore in aliorum liberis  
 vteretur patientia, quam propriis institu-  
 endis; siue quod plures praeceptores ad  
 vnum perficiendum requiri putaret. Enim-  
 vero Lubeca duos tunc habebat viros,  
 Henricum Pangertum, prorectorem, &  
 Bernhardum Kreytingium, pastorem, qui  
 praepositi nostro erant, quorumque alter  
 scientia eum augebat, alter & doctrina, &  
 pietate: quandoque posterior Sagittarium  
 auream, vt ipse vocat, excerptandi artem  
 docuit. Cum autem in hoc gymnasio tri-  
 ennium feliciter confecisset, Helmstadium  
 se conferebat, quaesiturus ibi dignos do-  
 ctiores: inter quos princeps Hermannus  
 Conringius erat, vir mea laude superior,  
 dignus autem, qui Casparem institueret.  
 Hic igitur eligendum studium erat, &  
 animus ad certam, vt aiunt, facultatem  
 adplicandus, sed in ambiguo versabatur,  
 animum tamen ad diuiniorum doctrinam  
 inflectebat. Laetabatur enim tribus in  
 hoc studio subsidiis, bonis nimirum in  
 humanioribus fundamentis, iudicio, voce,  
 rebus ad hanc rem laudabiliter exercen-  
 dam valde necessariis: quibus breui tem-  
 pore magnas in hoc studio accessiones



capiebat & incrementa. Excellens & fingulare Sagittarii ingenium & praecipua de rebus iudicandi dexteritas Conringium eo perducebat, vt plus vice simplici publice & praesentibus multis diceret: se mirari Sagittarii in rebus cognoscendis facilitatem: nilque deinceps minus, quam dulcis ipsi & clara vox deerat: cuius beneficio orationes sacras, plenissimas grauitate habere poterat. Cum Helmstadium per plures annos ipsi vtilitatem attulisset, lustrare alias quoque academias instituit: narus, omnem non omnia ferre terram, & si vel maxime ferret, occurrendum tamen satietati aurium esse, & taedio. Cui rei vt satisfaceret, inuisebat Lipsiam, Vitembergam ac Ienam. Necessitas vero resque familiaris eum reuocabat, nam patri morituro adesse volebat, funusque procurare. Tria autem nostrum in patria confecisse animaduerti: haereditatem, inque hac bibliothecam confertissimam, posteaque multis praestantissimis libris auctam publicae Ienensi legato illatam, creuit; deinde sororis nuptiis, a viuo adhuc patre destinatis, interfuit, ac tandem parentis vitam conscripsit. Iam in eo erat,

vt rebus domi compositis, ad Anglos & Batauos peregrinationem susciperet, de hac tamen spe exturbatus est atque depulsus, dum aduersa fortuna in febrem, eamque quartis semper vicibus recurrentem incidit, quae tam molesta, tamque assidua fuit, vt medicinae locus non relinquere-  
 tur. In hoc autem rerum aduerso statu suarum, anno nimirum MDCLXVIII. die II. Sept. litteras accipiebat, quibus auctore patruo, Io. Christfrid. Sagittario, superint. generali ab Illustri Consistorio Altenb. vocabatur, vt munus scholae Salfeldensis obiret. Accersitus sequebatur, & examen more consueto habendum singulari laude subibat, nouumque munus ingrediebatur. Verum enim vero accepti tunc statim poenituit ipsum officii; cuius taedii causas, quas quidem omnes Sagittarius in Salfeldenses conferre in suis ad Io. Chr. Sagittarium datis epistolis nititur, examinare nolo, sed modo iudicium, quod de se ipso priuatim tulit, dabo. Omnia Sagittarius ex animo agebat, nihil, quod ad veritatem spectaret, occultans, nihil dissimulans, nihil vel sibi, vel aliis indulgens, sed genuine & stomachantibus aliis

di-

dicebat, scribebat. Tacebat tamen & quiescebat interdum, si officii vel temporis ratio id vellet: consilia silentio premebat, nullius usus sententia & iudicio, ne essent aliis nota prius, quam sibi penitus constituta. Ceterum fortis eum animus agebat & firmus, vt in negotiis omnibus, ita cum primis in difficilioribus. Hunc testatus in oratione est, quam manibus Ser. Principi Altenburg. FRIDERICO WILHELMO habebat, in qua vitia ciuitatis inimicorumque obrectationes haud obscure tangebatur, hosque vicissim eo perducebat, vt variis modis desiderijs ipsius deessent. In his igitur fluctibus, quibus labores scholae, alias molesti accedebant, desiderio libertatis exardescebat, votisque expecebat aliud munus: quod certe obtigisset, si saltem patientiam adhibere potuisset; at is promissa ab Illust. quondam Seckendorffio aliisque data, non ferebat, sed sponte de provincia sua decedens Ienam abibat. Hoc consilium vtut repentinum, aque multis vitio datum, exitu tamen optabili terminabatur, nam anno MDCLXXI, Ienam ingressus hilari fronte a studiosis excepiebatur, & a SERENISSIMIS NVTRITO-

RIBVS post Bosii mortem a. MDCLXXIV. historiarum professionem nactus est, cui accedebat gradus doctoris in re theologica, quem breui ante susceperat. In officio hoc summa cum laude stetit, & inter professores sui temporis eruditionis fama quam maxime floruit. Ad exitum vitae vocatus est die IX. Mart. a. MDCXCIV.

## SCRIPTA

**Q**uam plurima orbi litterato reliquit, quorum catalogus lenae a. 1685. litteris Nisianis prodiit, ex quibus tamen omisissis programmatibus, dissertationibus, aliisque huius generis, modo potiora nominabimus. Ante alia igitur legi merentur *tr. de iunioribus veterum Altenb. a. 1672. Historia urbis Bardeuic len. 1674. Nucleus Historiae Germanicae, len. 1675. Historia Goslariensis len. 1675. Histor. antiqua media & recentior Lubecensis 1677. & 79. len. Histor. lo. Friderici, len. 1678. Historia vitae & mortis Tulliae 1679. Hist. Episcoporum Numburgensium, len. 1683. Historia passionis Iesu Christi, len. 1684. Antiquitates archiepiscopatus Magdeb. len. 1684. Hist. Marchionum & Elect. Brandenburg. & Histor. Rensburgi eodem anno. Antiquitates regni Thur. eodem anno. Histor. Solwedelensis len.*

*len. 1685. Antiquitates gentilismi & Christianismi Thuringici len. 1685. Histor. bellorum scythicorum, & Histor. Amazonica eodem anno. Praeterea varia contra P. Marcum Schoenemannum soc. les. additum, diuersis annis edita.*

HENRICVS MATTHIAS DE BROCK,  
Th. Doct. & Superint. Gen. Altenb.

**C**eleberrimo, & tum propter luculentissimam Lutheri scriptorum editionem, tum propter praeclara in ecclesiam merita immortalis Sagittario Brockius successit, vir in vniuersa Germania ob eloquentiam notus, aequae multis ecclesiis ad summa munera vocatus. Namque fama quid apud theologos efficere possit, in hoc videtur experta, dum Brockium, ut solenni & diuina vocatione ad munia & pastoralia & ephoralia inuitarent, admonuit Principes, Comites, ciuitates. Is autem a. MDCXLVI. IV. Sept. Derenburgi, loco in ducatu Halberstadiensis sito, a patre consultissimo viro, Christophoro de Brock, praetore Collegii canonicorum, & ex clara, ac in expeditione bellica in Africam a Carolo V. ob fortitudinem nobilitate donata, inque Belgio

celebri, sed religionis conseruandae studio, ad inquisitionem hispanicam euitandam exinde in Germaniam emigrante familia ortus, inque ludo Quedlinburgense a Rectore clarissimo, Samuele Schmidio institutus est, idque tam feliciter, vt a MDCLXIV. in academiam Helmstadiensem digne missus Christophoro Schradero, Henrico Rixnero, & Froelingio tradere-tur. Deinde anno ibidem peracto, Ienam translatus, a Casp. Posnero, Erhard. Weigelio, And. Bosio, Ge. Goezio & Chr. Hundeshagio in scientiis philosophicis; in theologicis vero a Io. Musaeo, Frid. Bechmanno, ac Seb. Niemannno quam optima institutione ad maiora formatus est. Cum autem in academiis per gradus ascendant, nullique sine magistri titulo maior dignitas in re theologica committatur: visum est nostro, vel tanquam eruditionis academicae publicum testimonium ab amplissimo philosophorum ordine magistri titulum a MDCLXVIII. acquirere, & acquisitum defendere, habita dissertatione pro praesidio de praedicamentali accidente, grata illo tempore materia. Ex cathedra philosophica theologicam  
con-

conscendebat, deque *propositione fidei*  
*sufficiente* ex mente pontificiorum sub  
Musaeo disputabat. His aliisque doctri-  
nae & pietatis speciminibus notus a  
Senatu Hadmerslebenſe, deinde Magde-  
burgenſe ad aedem ſpiritus S. ac confe-  
quente tempore ad templum Iohannis,  
vt paſtoris munia ibidem expleret, voca-  
tus eſt. In hac vrbe decennio confecto,  
Hildeshemium ſolenni vocatione ad mu-  
nus Superattendentis inuitatus & trans-  
portatus eſt: in qua functione vtut cel-  
ſiſſimus comes Schyvarzburgo Arnſtadi-  
enſis officium Praeſulis, & eodem anno  
Hamburgenſes paſtoratum aedis cathari-  
nae, nec non Halenſes dignitatem paſto-  
ris primarii S. Vlrici, ac Altorfenſes pro-  
feſſionem theologiae, paſtoratui iunctam  
offerent: conſtanter tamen in priori of-  
ficio ſtetit, vt videretur ibi omnem aeta-  
tem exacturus. Cum tamen glorioſae  
memoriae FRIDERICVS, Dux Saxoniae,  
dominus noſter olim clementiſſimus a.  
MDCXC. Brockium Altenburgum euoca-  
ret, videbatur dignus, quem in officio  
ſequeretur, antecellor, videbatur dignum  
praefulis generalis, quod ingrederetur,

of-

officium, videbatur dignus, vbi beate vi-  
 ueret, locus. Quanquam enim postea  
 Ser. IO. WILHELMVS, Dux Vinariensis  
 mortuo Beyero, ac Annaebergenses ite-  
 ratis vicibus, ipsique Magdeburgenses at-  
 que Lubecenses, denato Pfeiffero summa  
 in ecclesiis suis munera, honores, redditus,  
 offerrent, voluntatem tamen suam mode-  
 ste negabat, & est Altenburgi ad finem vitae  
 suae sacris operatus, inque vinea christi per  
 totum diem laborauit, tum emendando  
 ecclesiae membra, eruditione & exemplo  
 vitae non culpatae, tum in ipsos pastores  
 inspectioni suae demandatos. Scripta  
 nunc, quae a tanto theologo promana ue-  
 uerint, desideras? Non sane eruditione  
 & subsidiis destitutus, sed tempore erat,  
 quod rebus & Consistorialibus tribuen-  
 dum, & orationibus ad populum frequen-  
 ter habendis. Prostant tamen variae con-  
 ciones, vt vocantur, funebres, prostat  
 eiusdem liber dictorum ad explicationem  
 catechismi, in vsum scholarum ducatus  
 Altenburg. iteratis vicibus editus. Hic  
 magni nominis theologus rebus humanis  
 exemitus est die VI, Ian. MDCCVIII.



GOTHOFREDVS ROSENTHALIVS,  
 Concionator aulicus supremus & Con-  
 sistor, Goth. Consil.

**Q**uas a concionatore aulico requi-  
 runt theologi virtutes, multae sunt,  
 quasque politici perfectiones, fere  
 plures. Rosenthalius ad magnam ea in  
 re laudem peruenit, eoque perduxit, vt  
 politicis gratus, theologis probatus, Prin-  
 cipi autem Serenissimo ratione praecipua  
 in gratia esset. De religione rectissime  
 & putauit & credit, veramque doctri-  
 nam fide pariter ac vita integra professus  
 est. Vir erat teutonici oris, nec tamen  
 praecipitantis linguae, sed prudentiam  
 suam vt voce exhibebat, ita & gratiam  
 ac fidem, affabilis omni, omnibus fidus,  
 orator insignis, & pauperum patronus.  
 Eum Altenburgum die II. Aug. a. MDCXLIV.  
 tulit patre Iohanne Rosenthalio, tunc  
 scholae Altenburg. Collega, post autem  
 diacono Schmoellense, qui filium rebus  
 sacris initiatum, & in primis rudimentis  
 doctrinae puerilis in schola patria insti-  
 tutum, ac deinceps in ludo Gerano huma-  
 nioribus excultum a. MDC LXVI. Ienam  
 abi-

abire iussit: vbi Bechmannum, Posnerum, Bosium, Mullerum, Musaeum, Chemnitium, Gerhardum, & Niemannum docentes audiuit. Absolutis studiis academicis, aliquandiu (hoc in curriculo vitae, quod ipse composuit, non dissimulat) institutioni puerorum nobilium vacauit, mox tamen veluti per gradus ad altiora adscendit, nam primum Lichtenhanum, pagum quendam Salfeldensis inspectionis, deinde Schmoellam, vt patris vices obiret, tertio Noebdenizam, quarto Windischleubam prope Altenburgum, sitam, ac quinto, anno MDCLXXXV. ipsum Altenburgum, quo munus diaconi obseruaret, vocatus est. Anno MDCXC. Sereniss. FRIDERICVS, Dux Saxoniae, piae memoriae Princeps, Rosenthalio ob singularem eloquentiam & vitam non culpatae splendidum concionatoris aulici & Confessionarii munus clementissimo consilio offerebat. Quod officium, vtutrepide, tanquam nimis sublime, accepit, tanto tamen animo, tantaque dignitate administravit, vt mortuo hoc Serenissimo Principe ac Domino nostro, Domino FRIDERICO, duce Saxon.

Saxon. Cliv. & Mont &c. Domino nostro longe clementissimo, ad gubernacula regni accedente confirmaretur in officio, maiorique titulo, clementissime augeretur. Constanter enim in officio gratiaque Principis stetit, & ex eo praecipue illam cognouit, quod Ser. Princeps se aegrotantem visitauit. Anno MDCCXI. grauius decumbere & tabe, quam *Φθισιν* vocant, paulatim absumi coepit, & ad vitam meliorem abiit die XVII. Sept. Haec clarorum virorum exempla vt omnes mouent, ita inprimis hac fini proponimus, vt iuuenes etiam exemplum exinde petant & diligentiae, & virtutis, confidentes, quemadmodum maiores doctrinae pietatisque praesidio expulvere quasi ad altiores dignitatis gradus peruenierunt, ita fore, vt & ipsi praemia diligentiae olim, quamuis non tanta sint, consequantur. Videntur etiam nostri in susceptis litterarum studiis id sibi proposuisse; hinc pro viribus, proque animi capacitate Musis sunt operati, iamque ad altiora se referre, & academica studia tractare, prius autem, quam id faciant, more usurpato valedicere volunt.

Pri-

Primum quidem *Gottlieb Straube*, Schorchela-Thur. iuuenis, qui XII integros annos hic moratus, tamque longo tirocinii tempore ita se gessit, vt occasionem grauiori animaduersioni & disciplinae non dederit, sed legibus potius nostraeque admonitioni obsequenter paruerit, atque patronos doctoresque suos reuerentissime coluerit: quique ex eo nobis spem affirmat, fore, vt vel cultu & submissione gratiam, fauorem & promotionem consequatur, orationem habebit de Musarum cum Musica commercio, ab itum gratulantibus Ehrenfrid. Robano, Lufato & Io. Bodone Vlrico, Haynroda-Schwarzburg.

Deinceps *Christian Gottbold Knüpfers*, Petroberga Eisenb., iuuenis optima indole, tamque bonis profectibus instructus, vt testimonio Illustris Confistorii Altenb., quod nuper illos examine accurato explorauit, dignus academiae candidatus sit iudicatus, ceterum animi morem ad omnem virtutis habitum composuit, de stilo animi morumque indice perorabit, acclamantibus Sal. Gottl. Schorchtio. Bob. & Carl. Aug. Meyero, Petrobergense.

His in castra academica transituris iunget se *Adamus Andreas Wolfius*, Erfurtenf. adolescens, magna ingenii vbertate pollens, aequae morum elegantia commendandus, exercitii causa orationum uincula demonstrabit, patriam esse, ubi bene uiuamus, namque est consultissimo patri statutum, quo filium propius habeat, eum Gymnasio Coburgensi tradere. P. P. Eisenbergae die XII. Aprilis.

a. o. r. MDCCXXIV.

VI.

IO. CASPAR DE HENDRICH  
Consil. Jannus & Cancell.

IO. CASPAR DE HENDRICH  
Consil. Jannus & Cancell.

IO. CASPAR DE HENDRICH  
Consil. Jannus & Cancell.

VITAE

EXCELLENTISSIMORVM VIRORVM

IO. CASP. HENDRICH,

GEORG. DIETER. PFLVGII,

IO. GEORG. DOEHLERI,


IO. ANDR. GERHARDI,

ET

FRIDER. FOERSTERI.

FRIDER. FOERSTERI.





IO. CASPAR DE HENDRICH  
 Consil. intimus & Cancell.

**I**lustres Cancellarios Altenbur-  
 genses vt in Elogiis nostris om-  
 nes recensuimus, & ultimo  
 quidem Ioan. Dietericum de  
 Schoenberg laudauimus, nunc ad Hend-  
 richum, qui est illum in officiis secutus,  
 pergimus. Hic est ille, quem Deus a par-  
 uo initio ortum magnis rebus destinauit.  
 Namque Saalfeldiae d. XX. Apr. MDCXXXV.  
 sidere fausto in lucem editus est, patre  
 Ioanne, praetore oppidano. Primum in  
 schola patria institutus est, sed annum de-  
 cimum septimum agens in politissimum  
 Musarum hospitium, quod Coburgi flore-  
 bat, delatus, atque deinceps in pulcerrimo  
 virtutis doctrinaeque palatio, academia  
 Lipsica per triennium moratus, variis  
 doctrinae documentis, imprimis disserta-  
 tionibus emergere coepit, inque lucem  
 & oculos hominum collocatus, viam sibi  
 ad dignitates Cancellario Thumshirnio  
 muniente, qui Hendrichum Serenissim.  
 FRIDERICO WILHELMO eo commendabat,

vt Consiliarii aulici locus ipsi decerneretur: quam dignitatem, cum prius peregrinationem breuem suscepisset, seque cognitione variarum rerum politicarum perfecisset, a. MDCLXIII. muneri initiatum, & praestita religiosa de fide obfirmatione confirmatus est. Grauitatem autem muneris sui tam laudabiliter sustinuit, vt meritis statim Principi suo innotesceret, qui nostro varia, eaque maxime cum vicinis Ducibus tractanda negotia grauiioresque delegationes committebat. Cum enim a. MDCLXXIV. Lipsiae conuentus circuli Saxoniae superioris indiceretur, Hendrichus nomine Serenissimorum Ducum Saxoniae, Gothani, Altenb. Coburgensis, Vinariensis & Isenacensis adfuit: cum a. MDCLXXV. Ernesto pio ad beatorum sedes euecto, gloriosae memoriae FRIDERICO sceptrum capeffenti, tanquam magistratui fides a ciuibus iureiurando confirmanda esset, Hendrichus in omnes Ducatui Altenburgico subiectas colonias, vt sacramentum illud reciperet, ire iussus est: cum eodem anno Ser. Dorothea Vidua in arce ducali Altenb. placide obdormiret, Hendrichus dispositionem de haereditate

bene ordinavit: cum a. MDCLXXIX, arduum & difficile negotium, quo haereditas inter Serenissimos Duces Saxoniae separanda, & vnicuique iusta portio discernenda esset, atque ad illud conficiendum praestantissimi quique consilarii & ministri a Ducibus mitterentur, en Hendrichus ad id electus. Haec magni momenti officia nostrum Serenissimo Principi adeo commendabant, vt splendidissima quaeque munera illi crederet, namque anno MDCLXXX. praesidium in Hagio Synedrion, a. MDCLXXXIV. munus vice Cancellarii & a. MDCXC. Consilarii intimi, ac demum a. MDCXCIV. Schoenbergio denato, summa Cancellarii dignitas clementissime illi demandata est: quibus augustissimus Caesar nobilitatem generis addidit, ita vt in vtroque sexu generosus sanguis incalescat & ad posteros transplantetur. Tandem satur honoris, satur fortunarum, satur vitae concessit fatis die XX. Iul. MDCC.

GEORGIUS DIETERICVS DE PFLVG,  
Cancellar. Altenb. & Consil. Intimus.

**H**ic illustris vir multis nominibus noster est, namque Altenburgum & suscepit illum,



illum, & honoribus, quos habet amplissimos, ornauit, & mortuum in gremio suo extulit. Ortus autem est ex illustri, inque tota Germania maioribus in toga & faga clarissimis, familia, patre quidem Alexandro Pflugio Ser. FRIDER. WILHELMI Cubiculario nobili die V. Iun. a. MDCXL. Primum vt fit, a praeceptoribus priuatis, deinde in Gymnasio Gerano litteris initatus a. MDCLIX. Salanum athenaeum ingressus, ibi quatuor annis philosophiae & iuris disciplinis operam dedit. Intelligens autem, quam necessariae sint viro nobili peregrinationes, rite quidem susceptae, per Germaniam in Galliam peregrinando salubriter profecit tum in studio politico, tum rebus summo viro dignis. Reuersus a. MDCLXV. Illust. comiti de Promniz, vt aulae magister esset, datus, sed merita tam luculenta latere Principem Sereniss. FRIDER. WILHELMVM non poterant, qui a. MDCLXVI. Pflugium Consiliariis aulae & Consistorii admouebat. Hic sine fuce iustitiam administravit, inque opere suo egregie occupatus, ad supremum, idque Ser. Saxoniae Ducibus commune iustitiae tribunal, quod Ienae habetur, vocatus est,

vt aulae iustitiae vice-praesidis munia  
 expleret. Sed maiora etiam illum manebant,  
 namque a. MDCXC. Ser. quondam  
 FRIDERICVS Pflugium titulo Consilarii inti-  
 mi cohoneftavit, & Serenis. FRIDERICVS,  
 hodie scepra feliciter gerens nostro a.  
 MDCC. vacans Cancellarii munus cle-  
 mentissimo pariter ac prudentissimo con-  
 silio commisit. Hoc excellentissimum no-  
 mine & dignitate munus vsque ad finem  
 vitae, qui in annum MDCCV. diemque  
 IV. Ianuarii incidit, administrauit, & tri-  
 ginta annos in ministerio Ser. Principum  
 cum laude exegit.

IO. GEORG. DOEHLERVS,

Consil. intimus, Vice-Cancell. & Consist. Praesef.

**H**Oc insigne Ducatus nostri ornamen-  
 tum omnisque virtutis ac doctrinae  
 expressissimum exemplar Altenburgum  
 protulit die XXII. Aug. a. MDCXLII. patre  
 Georgio Doehlero, rei frumentariae prae-  
 fecto, & in schola sua a doctoribus publicis  
 Crausero, Lyftio & Ludewicho in funda-  
 mentis recte institutum cognato eius Da-  
 uidi Lindnero, clari nominis Icto, Lipsiensibusq;  
 magistris commisit, quos Doehlerus  
 in variis cathedris, nempe in philosophica  
 Schwen-

Schwenkium, Franckensteinium, Thomafium, Fellerum, logicam, politicam, oratoriam, hiftoriam docentes fedulo audiuit. Priuatim vero vfus eft institutione Io. Ernesti Norici, tunc quidem doctoris Lipfienfis, poft autem Confiliarii aulici Martisburgenfis. In re autem iuridica Eckoldum, Suendendorferum, Schroederum & Romanum feniores doctores habuit. Habita deinceps differtatione de *pecunia legitime collocanda*, effecit, vt in numerum candidatorum affumeretur, & licentiam legendi confequeretur. Tanto etiam applaufu & ftudioforum concursu docebat, vt videretur Lipfiae fedem fortunae conftitutus, fed matris voluntati morem gerens a. MDCLXVII. Altdorfium ingreffus eft, ibique habita differtatione de *Iure Cenfitico* doctoris gradum adeptus eft, idque liberalitate celeberrimi Reinefii, qui Doehlerum imprimis amabat, illique testamento fuo fumtus promotionis decreuerat. Ad penates reuerfus per gradus ad altiora adfcendit. Primum in foro ftetit, caufas quam feliciffime orans; deinceps Bremio praetori, ex aetatis ratione officium deponenti a. MDCLXXVI. furo-

gatus, vt iudex fedit; porro Gerharδο Con-  
 siliario MDCLXXXI. moriente, Serenif.  
 FRIDERICO, piae memoriae feruire coepit,  
 idque tum in illustri regiminis collegio, vt  
 Consiliarius, tum in Camera, vt redituum  
 ducalium Consiliarius. Et hactenus qui-  
 dem rebus politicis adhibitus, nunc quo-  
 que ecclesiasticis est, dum a. MDCXCVII.  
 Illustris Consistorii vice-Praesidis, & a.  
 MDCC. ipsius Praesidis officium gessit.  
 Atque haec omnia tanta Ser. Principis ap-  
 probatione, vt ipsi eodem anno ad mu-  
 nus Vice-Cancellarii euecto a. MDCCV.  
 axioma Consiliarii Intimi clementissime  
 adderet. In his spartis egregie stetit usque  
 ad finem anni MDCCX. quo die XXIII.  
 Decemb. ἀποπληχθεὶς occubuit. Erat vir  
 summa vultus ac sermonis comitate, ple-  
 nus officii, nihilque a se frustra expectari  
 volebat. Praesidium ac dulce litteratorum  
 decus, liberalis egenis & omnibus proba-  
 tus. In prosperis rebus spectata satis mode-  
 ratio, & in aduersis animi magnitudo eius;  
 omnes humanos casus virtute sua inferio-  
 res habens, & tanquam e naufragio emer-  
 gens semper & maior & locupletior, & clari-  
 or visus est, & longiori vita omnino dignus.

IO. ANDREAS GERHARDVS,  
 Consiliarius aulicus.

**V**Tut familia in hominibus ciuilibus conditionis parum attendatur, & canae antiquitatis patres nobilibus tantum, idque iure meritoque relinquuntur; apud nos autem vel aui nomen recensuisse sufficiat, & remotiores maiores non sine nausea recitentur: cum ciues non ex genere laudem, sed in doctrina quaerant, eruditio autem non sanguine propagetur, verum diligentia, ingenio, consilio acquiratur, & inde moriente docto viro, simul nobilitas ex eruditione profecta, mortua esse videatur: nisi forte litterarum monumenta, quae omnem generis antiquitatem aequant, & aeternitatem suam conseruant, prostent: non erubesco tamē familiae Gerhardianae dignitatem inter nobilissimas ciuicae conditionis referre, illique principem fere locum tribuere. Vix enim vnus ex hac gente ortus, qui non doctrina & litteris inclaruerit, nominabitur Gerhardus. Adeo, vt ipsum nomen cognatos ad studia horatum, Altenburgum etiam vnum ex Gerhardis exhibere potest, eumque Io. ANDREAM, Ioannis Gerhardi, maximi, fere

dixerim, nostrae ecclesiae theologi, professorisque Ien. filium die XXII. April. MDCXXXIV. natum. Pater autem, qui a. MDCXXXVII. decebat, filium relinquebat. Iena nostri patria, foecunda etiam mater in formandis studiis erat. Gerharδο, enim vix puero dabantur praeceptores morumque magistri Petrus & Christianus Musaei, Nicol. Rhenius, Christ. Olpius, Dan. Stahlus, & Ioh. Christfrid. Sagittarius, tunc hist. & poeseos profess. Cum autem Ienae fundamenta litterarum humaniorum probe posuisset, est Vitembergam profectus, vt studium iuris prosequeretur, vbi Eichouium audiuit; & Ienam redux factus, Richterum Strauchium, Bechmannum docentes frequentauit. Relicta Iena Gissam se contulit: exinde scientia refertus patriam repetiit, ibique a. MDCLIX. gradum Doctoris Iurium recepit, eumque & legendo collegia, & disputando defendit. Nunc tempus videbatur appropinquasse, vt Gerhardus quietum vitae genus institueret, Ienaeque sedem fixam caperet, & forte mensam publicam studiosis extrueret. Minime vero. Nostro ea viuendi ratio non probabatur, sed alia mens sedebat. Namque

que regionum exterarum studio tenebatur, & iam a. MDCLVII. in Belgium excurrerebat, at absolutis studiis a. MDCLXI. in Galliam peregrinationem suscipiebat, exinde in Angliam traiciens, & perlustratis primariis vrbibus, notatisque singularibus in Germaniam reuersus, inprimis Spiraе diu moratus est, vt ibidem processum Camerae Imperialis Iustitiae addisceret. Exin Vindobonam contendit, & ab Imperatore LEOPOLDO facile impetrauit, vt sibi a. MDCLXIII. insignia comitis palat. concederet. Hungariam quidem salutauit, sed paucis, quae desiderio sufficerent, inuentis, Ratisponam a. MDCLXIV se contulit, eoque in loco vsu cum Legatis principum & accessu in Collegium Ducalis Consilii maximarum rerum vsu auctus, rediit quidem in patriam, sed statim a Ser. Duce Anhaltino IOANNE a. MDCLXIV. evocatus est, vt grauissimum Consiliarii aulici & Iustitiae munus in se susciperet. In hoc officio vndecim annos confecit, & plura maioris momenti negotia executus est, namque causam successionis inter Duces COTHENIENSEM & DESSAVIENSEM tractauit, porro restitutionem & seperationem praec-

praediorum Oldenburgensibus per fidei commissum pignori datorum difficili negotio composuit, controuersias de limitibus & terminis regionis finiit, & fidelitatis iuramentum, magistratui dandum Principis nomine recepit. His rebus Ser. FRIDERICO, piae memoriae innotescebat, qui Gerhardum a. MDCLXXVI. nomine tum suo, tum serenissimorum fratrum Coburgum inuitabat, vt Consiliarii aulae officio fungeretur. Praeclara hic illius opera extitit, dum separationi & diuisioni regionum inter Serenif. fratres studium adhibuit, iisque consiliis meruit, vt a. MDCLXXX. regimini Altenburgico vt Consiliarius Iustitiae adiiceretur. Non autem diu Altenburgum hoc viro laetabatur, nam ille vix anno ibi absoluto, de statione sua ad coelestes honores ire iussus est die XVI. Sept. MDCLXXXI. annos natus quadraginta septem.

*Scripta Gerhardi quod attinet, ea imprimis haec accepimus: 1.) orationem de Ictis 1655. 2.) orationem de vita & exercitiis academicis 1658. 3.) Disputationem sub Strauchio de nuptiis, pro licentia 1659. 4.) de iusta mortuorum sententia in proprium sanguinem. Et sequentibus annis: 5.) de iure & potestate Parlamenti Britannici 6.) de parlamenti Galliae 7.) de iure magistraturae*



rum 8.) de statibus imperii exemptis 9.) de Supremis in imperio Rom. Iudiciis aulico & Camerali: quam dissertationem Oldenburgerus lib. IV. Limnaei enucleati allegat, quamque Casp. Melch. Bieckenius in linguam vernaculam transtulit. Tandem etiam Dom. de Loebneys Hoff-Staats und Regierungs-Kunst emendatam amplificatamque Francofurti 1679. fol. edidit.

FRIDERICVS FOERSTERVS,

Secretarius reddituum ducalium.

**C**Lariorum, quae Altenburgum vel litteris, vel meritis illustrarunt, familias dum euoluimus, in Foersterorum gente, quae siue amplitudinem spectes, siue praeclaras actiones, siue officia, siue litteras etiam, imprimis elegantiores & politicas, nulli familiae quicquam concedit, sed facile primas partes tenet, merito acquiescimus, studiumque nostrum moramur. De quo autem hic agimus. Fridericus Foersterus, Ioannis Guntheri Foersteri, supremi reddituum praefecti Altenburg. filius, Ioannis Foersteri, Regiminis Arnstadiensis directoris nepos, & Ioannis Foersteri, Consilarii Electoris IOANNIS FRIDERICI in captiuitate ultra quatuor annos durante indiuidui comitis ac integerrimi ministri, pronepos. Hisce maioribus prae-  
cla-

claris satus animum semper ad eorum virtutem erexit, eosdemque litteris consequi ac virtute laboravit. Natus est Altenburgi a. MDCXIX, & primum in Gymnasio Schleusingensi in humanioribus, deinceps per quinque annos Ienae a Cellario, Zeifoldo, Seb. Beerio in legitima disciplina institutus, academias quoque Argentinensem & Basileensem a. MDCXLIII. studiorum causa ingressus est, ibique aliquandiu moratus & notitiam professorum adeptus, clariores Germaniae vrbes, Noribergam, Ratisbonam (vbi Excell. de Thumshirn, legato ducum Sax. in officio adfuit) Francofurtum, Monachium, Augustam Vindelicorum, Vlmam inuisit. Cum vero illo in primis tempore lingua gallica exteris desiderium moueret, quo discerent eam, & eius notitia ad politicas res aptissimi viderentur homines, vtque illam ex fontibus haurirent, ipsam Galliam frequentes ingrederentur Germani: Foersterus etiam amore huius linguae & rerum politicarum ductus, in Galliam, aliasque regiones peregrinando contendit, ac proinde Basileam relinquens, per Heluetiam, Genuam, Lugdunum, Lutetiam parisiiorum diuertit,

in

inque hac celeberrima vrbe per plures  
menses vixit, ac deinceps Caletum viam  
dirigens, in Angliam nauigauit. Perlustra-  
tis praestantioribus huius regni prouinciis  
& vrbibus, iter per Flandriam & Belgium  
Hispanicum instituit, perque prouincias  
Saxoniae inferioris domum rediit, ac patre  
interea mortuo a Ser. FRIDERICO WILHEL-  
MO praetoris Alstadiensis, deinceps redi-  
tuum secretarii munus ei est demandatum;  
quo in admodum pulcre se gessit, pietatis inprimis  
habita ratione dum sacra biblia, bene quidem pre-  
cibus paratus, in lingua vernacula duodecim, in  
latina vndecim, in gallica septendecim, sique hoc in  
summam colligimus, quadraginta vicibus, non qui-  
dem opere, vt dicitur, operato, sed deuoto studio per-  
legit, conquisitis praeterea optimis theologorum,  
inprimis Gallorum commentariis, quos pari fere in-  
dustria pertractauit. Ex matrimonio alias non in-  
foecundo filium modo vnicum habuit superstitem,  
Fridericum Guntherum Foersterum, bibliothecae  
ducalis praefectum, virum litteris optimis cum pri-  
mis in re historica praestantem, Chronicique Al-  
tenburgensis perficiendi solertissimum studiosum,  
vtut nuper re infecta mortuum. Noster autem  
Fridericus Foersterus morte dissolutus est d. XII.  
Mai. MDCLXXVI. editis in acad. Ienense dispu-  
tationibus duabus de *actionibus & contractu  
societatis* a. 1641.

Hos tantos viros eorumque vitas recensere hoc tempore, quo diem natalem Ser. Principis nostri, celebramus, placuit quod ad gloriam Principis pertinere videtur, bonos atque probatos habere & habuisse ministros. Quod autem ad reliquam Serenif. Ducis gloriam ac felicitatem pertinet, eam alumni nostri orationibus suis admirabuntur; ac primo quidem *Fridericus Augustus Schmidius*, Altenb. iuuenis, cui ingenium ad omnes honestas disciplinas docile est, quique haud contemnendis profectibus gaudet, oratione latina memoriam plagii insignis in Ser. ducibus Altenburgi olim commissi renouabit.

Hunc excipiet *Ioannes Fridericus Fischerus*, nostras, adolescens vbertate ingenii, morumque elegantia praeditus, & habebit orationem de fatis ecclesiae Lutheranae in Saxonia;

Huic succedet *Carolus Augustus Mayerus*, Petrobergensis, adolescens, in quo virtutis est indoles, & qui in linguarum ac scientiarum studio feliciter prouehitur, is de potentia Ducum Saxoniae perorabit.

Tandem *Ioannes Gotthofredus Thienemannus*, Ezdorfio Eisenbergensis, adolescens adornata ad praestantiam indole, quique quotidie melior & profectior cernitur, oratione ligata de Ser. Ducum Saxoniae familia dicer. P. P. Eisenbergae VI.

Cal. August. MDCCXXIV.

VITAE SEX  
CELEBR. THEOLOGORVM,  
MICHAEL. FISCHERI,  
IACOB. CLAVDERI,  
ABRAHAM. TRILLERI,  
CHRIST. HENR. LOEBERI,  
IACOB. DAN. ERNSTII  
ET  
IO. NICOL. FRANCKII.



MICHAEL FISCHERVS,  
Superint. Eisenb.

**F**ischerus vtut scriptis non adeo inclaruit, meruit tamen virtute sua, vt ex inferis nostro elogio excitetur, namque erat vir pietate & sinceritate probatus, quique vitia ciuium grauius & copiose, iusta tamen ἐπιεικεία & modestia coarguebat. In hanc vitam introit Allendorffii, vico ad regium lacum sito a. 1567. patre villico. Brunswici institutus, adeo profecit, vt, nescio, cuius methodi Ἡγεμονία discipulus ipse discipulorum doctor exstiterit, & exercitia commilitonum, nomine praeceptorum emendare & corrigere consueuerit. Doctor enim discipulum, non alumnus, qui lacte nutritur, alumnus instituit. Haec vtut sint, Fischerus scholae profectibus in academiis lactatus est, namque a. 1600. athenaeum Ienense ingressus, & vix tribus annis ibidem exactis ad munus concionatoris aulici Celsissimi Comitis Schwartzb. Rudolphopolim vocatus, ac deinceps, cum di-  
aco-

aconi munus Franckenhusae rite administrasset, ab Electore Saxoniae, tunc Principum minorennium Altenburgensium tutore, mortuo Auiano a. 1617. rebus sacris Eisenbergensibus praefectus est: in quo officio ecclesias suae curae commissas & dioecesi comprehensas per saepe inuisit & adiit, sedulamque adhibuit curam, vt vbique sacra rite administrarentur, & verbum diuinum pure doceretur, in quibus actionibus diem suum obiit d. 16. Maii a. 1636.

IACOBVS CLAUDERVS,

Superint. Delicianus.

**H**unc nascentem anno 1617. d. 20. Iun. Altenburgum excepit patre Iosepho, scholae Rectore. Auus illius, Iacobus Clauderus ideo commemorandus esse videtur, quod in difficilioribus ecclesiae temporibus ac turbis, inprimis cum a Flacianismo turbaretur, constanter orthodoxam fidem professus, atque tunc composito Formulae Concordiae libro subscripsit, cuius nomen exemplar Dresdae a. 1581. editum exhibet. Noster autem Iacobus in Lyceo patrio, a Rectore, Tobia Seifarto in humanioribus legitime insti-

tutus a. 1634. Ienam se conuertit, & sub Paulo Slevogtio, Io. Dillherro, Phil. Horstio, Dan. Stahljo & Io. Zeifoldo, philosophiae operam dedit, suosque profectus dissertatione de *antiquitate* a. 1638. & reliquis speciminibus docuit. In re theologica doctores habuit Io. Gerhardum & Himmelium. Cum porro gradu magistri ornaretur, lectiones aliis habuit, inprimis in stilo & conscribendis epistolis ac formandis orationibus. His rebus aliis fidem adfirmavit de dignitate ad scholasticum munus obeundum, namque vocabant eum Curiam aduocatorum in Variscia ad Conrectoris, & Einbeckam, in Saxonia inferiori sitam, vt Rectoris partes ornaret. Verum Clauderus theologiae cum primis deliciis inuitatus a. 1640. Vitembergam ingressus est, atq; Wilh. Lyseri indiuiduus comes & auditor fuit. Sub Erico Ostermanno disputauit a. 1642. de *Critica* & 1645. de eadem materia, variisque collegiis lectoriis meruit, vt numero adiunctorum fac. phil. adscribendus iam fuisset, nisi vocatio in ministerium illum rebus academicis exemisset, namque est Luccauiam, oppidum Alten-



Altenburgo subiectum accersitus, vt ibi  
pastoris & adiuncti munera sustineret.  
Quae vero est virorum & pietate & eru-  
ditione clarorum non inuidenda ipsis for-  
tuna, Delicium, vt spartam superinten-  
dentis obiret, a. 1650. vocatus est, cui  
dignitas Doctoris Theologiae a facultate  
Theolog. Lipsiae a. 1658. addita. Morte  
placida dissolutus est, & die 13. Octob.  
a. 1669. spiritum Deo reddidit.

ABRAHAMUS TRILLERUS,  
Assessor Consist. & Ecclesiast.

**F**ides Abrahamum, patriarcharum prin-  
cipem, & diuinae familiaritatis vi-  
rum immortalem fecit; & fides nostrum  
Abrahamum in cinere viuum praestat,  
*αικραιως* enim & *Φυλαλιδως*, inque mo-  
dum germanum & agebat, & loquebatur.  
Trillerorum autem familia merita sua  
habet a maioribus in liberatione Ducum  
Saxoniae Altenb. e faucibus ac manibus  
Conradi de Kauffungen ereptorum. Pater  
Abrahamus Trillerus Crimmitschaviae Con-  
sul, nostrum die 17. Iul. a. 1625. luci huic  
expositum, procedentibus annis Andr.  
Lindemuthio, Rectori, scholae quae Mis-  
niae

niae florebat, litteris expoliendum commisit. Fundamentis rite confirmatis a. 1645 in academiam Ienensem processit, & sub Cundisio de *Euangelio* atque sub Chemnitio de *arbore scientiae boni & mali* dissertationibus habitis, adeo se Christfr. Sagittario, tunc professori histor. Ienensi, post Superint. Generali Altenb. commendauit, vt huius patrocinio primum Cribitscham, pagum Altenburgo vicinum ad munus pastoris & adiuncti obeundum; & postea Freieslebio mortuo, splendidum Illustri Consistorii Assessoris munus, & praedicatoris ecclesiae cathedralis officium non, vt fit, per gradus, sed per saltum quasi consequeretur. Ex hac vita in coelestis paradisi viridaria abiit d. 12. Apr. a. 1676.

CHRISTOPH. HENRIC. LOEBERUS,  
Superint. Orlamunda Cahlensis.

**I**N iis, quae praesulem ornant, virtutibus Loeberus excelluit, non enim integra vita & exemplo solum, non accurata muneris cura, non gratia orationum, quae omnia a quouis pastore expectantur, sed aliis etiam, quae ephori rationem ingredi videntur, inclaruit. Est autem

tem

tem in officio sancto & gravi summa moderatione vsus, pastores suos non inimicos habuit, sed fratres, filios, amicos, commensales, eorum non vitia approbavit, sed admonitione correxit, eosque errantes, vt fit, in viam reduxit: affabilis omni, omnibus fidus, litteris praeterea ampliter instructus, & scriptis clarus, vniuersi, quem regere debebat, cleri, optimus doctor. Fridericus Loeberrus Ser. quondam Ducis Saxo-Vinariensis WILHELMI equestris militiae *ταξιάρχης* nostri auctor est, eumque Vinariae d. 27. Octob. 1634. procreauit. In schola patria Knapii, Rectoris, & in academ. Ien. Slevogtii, Frischmuthi, Zeifoldi, Posneri, Weigeli, Stenderi, Cundisii, Tob. Maioris, Musaei, Chemnitii, Io. Ernest. Gerhardi & Niemannii auditor, Stahlit v. peripatetici Ienensis, inque senectute oculis capti, per biennium lector. Ceterum philosophiae magister & adiunctus fac Phil. LIII. dissertationes philosophicas habuit: qua ex re illius fama valde creuit, & ad Altenburgenses peruenit. Proinde primum Adiunctura Goelnicensis, deinceps a. 1659. concionatoris auli-

ci munus Altenb. ipsi commissum est, ad-  
ditis lectionibus in gymnasio. His lauda-  
biliter peractis Orlamundam translatus, &  
rebus ecclesiasticis a 1666. earumque mo-  
derationi admotus est: ubi muneris ra-  
tionibus cumulatissime satisfecit, & 1. Sept.  
a. 1705. satur vitae, satur honoris, satur  
fortunaе, ad coelestes, vt vocantur, man-  
siones, est euocatus.

*Scripta, quae horis subcisuis orbi litte-  
rato communicauit, sunt, praeter supra com-  
memoratas dissertationes academicas, & con-  
uersiones funebres typis exscriptas ac plures dispu-  
tationes synodales, 1.) Tabulae maiores &  
Tractatus de Enunciationibus, 2.) Compen-  
dium Methaphysicum, 3.) Isagoge Philos.  
Moralis, ciu. & natur. 4.) & 5.) II. Tra-  
ctatus de Quackerismo, 6.) varia de locustis,  
7.) liber cantionum saerarum, 8.) quae uti-  
litate se maxime commendat, Historia ecclesi-  
astica Orlamundana, 9.) Explicator Evan-  
gelicus & 10.) Explicator Passionalis.*

IACOB. DANIEL. ERNSTIUS,  
Consist. Assessor & Ecclesiastes Altenb.

**I**N tanta historiae praestantia, tantaque  
utilitate, vt ea omnes in vniuersa vi-  
tae

tae ratione delectentur, & quilibet pro sua conditione fruatur: cum in rebus antea gestis & suae fortunae, morum, mentis, actionum imaginem videat, & vel ex aliorum tristi actionum euentu suas moderetur, vt laetiori defluant cursu, vel quae laudabiles fuerunt, virtute assequi laboret, & omnia denique ita & legat & audiat, vt ad suum referat statum, iisdemque aliis etiam profit: quid mirum, oratorem sacrum historiam civilem atque politicam euoluere, atque exemplis gestisque ab aliis praeter Iudaicam gentem, rebus, suam, quam ex sanctae scripturae sententiis ac historiis probauit & amplificauit satis, illustret thesin atque diducat? Ernstius igitur, qui rebus theologis aliquando applicandus erat, animum statim scientiarum rerum gestarum instruebat, & historiarum viridaria perquirebat. Est autem a. 1640. 3. Decemb. a patre Daniele Ernstio, Rectore scholae Rochlicensis natus, aequo illo vsque ad decimum quintum aetatis annum institutus, deinceps vero Altenburgensis scholae magistris, Ge. Crausero, Rectori, & Mich. Listio, Conrecto-

rectori in manus traditus, illorumque  
 disciplina humaniarum litterarum bene  
 expolitus a. 1659. academiam Lipsicam in-  
 gressus est, nactus praeceptores Scherze-  
 rum, Kromayerum, Rappoltum, quo-  
 rum ductu rei homileticae tam praecla-  
 ram dedit operam, ut vsu frequentiore  
 insignem sibi facundiam comparauerit:  
 eloquentiae simul suae, quae in ligata et-  
 iam oratione & modis ponitur, iustum  
 specimen exhibens, dum a. 1661. in actu,  
 quo magister philosophiae crearetur,  
 commilitonum nomine orationem tre-  
 centis versibus absolutam haberet, eo-  
 que lauream poëticam consequeretur.  
 Elapso biennio, rebus sanctioribus admo-  
 tus est, namque illustris Ducalisque Con-  
 sistorii iussu ac voluntate pastoris in pago  
 Cribitschensi ministerium ingressus est,  
 inque hoc officio quindecim annis non  
 sine superiorum approbatione & ecclesiae  
 commodo stetit. Et haecenus quidem  
 oues christiani gregis curauerat, nunc ad  
 agnos transibat. Videbatur enim Ernesti  
 opera iuuentuti scholasticae accommo-  
 da, ideo in gymnasio Palaeopyrgico, ut  
 Rectoris munus obiret, euocatus est.

No-

Nostrum autem quid fecisse putas? Tanta scilicet religione constringebatur, ut illustrem facultatem Theol. Lips. litteris interrogaret, an ex ecclesia fas esset, in scholam transire? Ad quod quidem Theologi Lipsienses, id sine vlla conscientiae iniuria Ernstium accipere posse officium, respondebant: qua religione exolutus anno 1676. festo Martini ritu solenni ludum ingressus est litterarium; & suas quidem partes legitime exegit, vix tamen quarto anno elapso, in ministerium rediit, idque oppidanum, nam Diaconi Altenb. vices secutus, per gradus ad splendidum munus ecclesiastae & Consistorii Ducalis Affectoris adscendit. Inter viuos esse desuit die 15. Decemb. a. 1705. Ernstii autem ingenium, diligentiam, lectionem, doctrinam, nomen scripta quam plurima testantur, & quidem:

- 1.) *Das Historische Bilder-Haus edit. tribus vicibus 8. 1674. & 1691. Altenb. & 1702. Lipsiae.*
- 2.) *Historische Confect-Tafel II. partes 8. Altenb. 1690. & 1698.*
- 3.) *Anweisung zum Bilder-Haus und Confect-Tafel Altenb. 8. 1694.*
- 4.) *Lectiones Historico-Morales curiosae Lips. 8. 1694.*
- 5.) *Aus-erlese-*

- erlesene Denckvvürdigkeiten Lips. 8. 1700.  
 6.) Gemüths-Ergetzlichkeiten Magd. 8. 1697.  
 7.) Wohlangevvendete XII. Naechte Altenb.  
 8. 1687. 8.) Der Weltgesinnte Felix Altenb.  
 8. 1687. & 1692. 9.) ἀπαντίσματτα Al-  
 tenb. 4. 1693. 10.) Sichems und Dinae Lie-  
 bes-Geschichte ex Gen. 34. Altenb. 8. 1693.  
 11.) Irenophilia Altenb. 8. 1683. & 1703.  
 12.) Neu-lahres Gedancken Altenb. 8. 1692.  
 13.) Wohlangevvendete Fastnachts-Woche  
 Altenb. 8. 1693. 14.) Ehrenholds zufaelli-  
 ge Gedancken Helmst. 8. 1688. 15.) Des  
 himmlischen Salomonis Urtheil von vvahrer  
 Glückseel. Altenb. 8. 1695. 16.) Histori-  
 sche Beschreibung Franckreichs Altenb. 8.  
 1694. 17.) Biblisches Spruch-Register uber  
 des Autoris Schrifften Altenb. 8. 1693.  
 17.) Ehrenholds Eitelkeit des menschlichen  
 Wesens Altenb. 8. 1695. 19.) Schau-Buh-  
 ne menschlicher Thorheit Lips. 8. 1702.  
 20.) Schatz-Kammer anmuthiger Erzehlun-  
 gen Lips. 8. III. Theile 1696. & 1704.  
 21.) Historiae miscellae amphitheatrum cu-  
 riosum II. Partes Lips. 8. 1696. 22.) Leich-  
 Predigten Altenb. 8. 1706. 23.) Todes-  
 Gedancken Lips. 8. 1709.



IO. NICOLAUS FRANCKIUS,  
Superint. Eisenberg.

**E**Logium celeberrimi huius viri, cum ante aliquot annos in programme, actum in Iubilaeum reformationis habendum, indicente & historiam ecclesiae scholaeque Eisenb. breuiter exponente, iam dederimus, eo breuiores in recensenda Franckii vita erimus. Franckiorum familiae, quae sedem habet in Marchionatu Baruthensi, Culmbachi, multisque retro annis floruit, vel auctor, vel certe amplificator fuit Iohannes Franckius, Marchioni Brandeb. a Feudis Secretarius, qui Christophorum Franckium, Pastorem Arzbergae, & hic porro die 31. Mai. a. 1642. nostrum genuit, & quidem Hohenbergae, vico quatuor stadiis Agra distante, quo pater, vt ab impressione militum tutus esset, se contulerat. Adornata ad summam excellentiam indoles filii hortabatur patrem, vt eum ex sinu suo mature dimissum primo Wonsideliae, deinde Baruthi, at demum Coburgi a Fromanno, Gymnasii Directore, Israel. Claudero, Seifarto, aliisque in graeca litteratura atque eloquentia, qua deinceps

ceptis pluribus excelluit, institui curaret, & porro bene instructum a. 1660. Ienam mitteret: vbi breui post sub Weigelio lauream philosophicam consecutus, & a. 1664. publice, vt loquimur, praesidendo disputauit, variisque collegiis lectoriis inclaruit, adeo quidem, vt fama doctrinae latius proferretur. Hinc a. 1670. Vinariam vocatus, vt ibi Rectoris gereret officium. Probata ibidem dexteritate, rebus ecclesiasticis admotus est, praeter enim vocationem ad Collaboraturam in ministerio Vinar. oblata etiam est illi sparta, vt legioni SerBERNHARDI a concionibus esset, quam eo libentius secutus est, quo in itinere varias Germaniae superioris viros doctrina claros visitare, eorumque colloquiis frui potuerit. Reversus, a Ser. piae memoriae CHRISTIANO Eisenbergam euocatus est, atque a. 1679. hic concionatoris aulici officium adeptus, multaque id gratia & comprobatione gessit, ita quidem, vt Crausero, Superint. a. 1680. moriente, hoc splendidum quoque munus clementer commissum susciperet: cui quam optime praefuit, & constanter adfuit. Namque nouem vtut illi ad alia opimiora officia proponerentur vocatione-

cationes, Eisenbergam tamen retinebat optimam sedem. In omnibus actionibus principis clementia usus. Hinc tantum est apud Eisenbergeuses Franckii nomen, vt, quoad Ser. CHRISTIANI nomen viuere (victurum autem per plura secula putamus) etiam illius memoria ac virtutes viuere videantur. Principem autem suum vt in vita secutus, ita in morte est, tantum enim inopinatus CHRISTIANI obitus illi vulnus infligebat, vt morbo lento corrept<sup>9</sup> diem suum obiret, & in concilium illud coeleste collocaretur d. 4. Aug. a. 1707. aetatis suae 65. Franckium vero cur imprimis amemus, cur laudemus, cumque, si quidem per nos fieri posset, immortalem reddere velimus, ardua illa & solertissima cura fecit, qua Serenissimum Principem CHRISTIANVM adduxit, vt hanc scholam prouincialem excitaret & mensa liberali firmaret. Horum omnium optimus Franckius, quem Deus, vel ob hoc saltem in sedes coelestes, in regiones beatas illas, vbi segura & iucundissima mansio, in tranquillitatem illam, quam nulla inquietat tempestatas, ad fontem vitae, qui nunquam exaret, semper abundat, in illud arcanum & accessum, quod habitat Deus & implet aeternitas, deduxit, & auctor & actor fuit. Ex hac igitur schola vt subinde iuuenes iustis profectibus instructi exiere, ita & hodie exeunt, patronisque gratias referunt.

Nam-

Namque FRID. WILHELMVS LOSSE, Eckolstadio Camburgenfis die 30. Apr. a. 1717. hanc scholam ingressus est, & octo fere annis hic versatus, tum lectionibus diligenter adfuit, tum aliquoties peroravit, tum pietate, modestia, profectibusque meruit, vt inter primos ac optimos, quos habuimus hactenus, referatur discipulos: hic Musis nostris vltimum valet dicturus, oratione latina de ingeniis praecocibus aget, idque occasione pueri Lubecensis, supra aetatem sapientis. Gratulationibus eum prosequentur *Io. Bodo Vlrici*, Haynroda Schwarzb. & *Frid. Aug. Schmidius*, Altenb.

Hunc excipiet MICHAEL RIEMANNVS, Vtenbaco Vinariensis, qui iuuenis tribus, & quod accedit, quibus hic moratus est, annis, diligentiam nobis, & pietatem & gratum animum probauit; iamque confirmato in linguis fundamento ad academica pergere studet; oratione autem valedictoria proponet *Ὁ Ψυχαθεῖς*, sub faustis acclamationibus *Io. Gottfr. Thienemanni*, Ezdorf. & *Io. Samuel. Marckmülleri* Cahlensis.

CASPAR vero FROELICHIVS, Weisenb. Eisenb., qui nuper oratione latina in actu quodam publico profectus in stilo probauit, nunc exercitii causa etiam id faciet idiomate graeco, de materia huic tempori respondente. P. P.

Eisenbergae. Dominica Palmarum

a. o. r. MDCCXXV.

VITAE

VITAE

CLARISSIMORVM VIRORVM

GEORG. KETSERI,

IO. GEORG. BREMII,

SAL. AVGVST. CLAVDRI,

FRID. SCHMIDII,


ADAM. GSWENDII,

IO. MICH. HEINECCHII,

IO. MICH. PRISCHMANNI

RT

CHRIST. WEISENBORNI.



GEORGIUS KEYSERVS,  
Ballius Altenb.

**I**S in agro Ramsdorfensi natus est, familia tenui quidem illa, sed postea inter nostros clarissima. Pater autem Georgius, incola Ramsd. filium d. 22. Iul. 1640. luci expositum, inque pueritia elementis litterarum imbutum, magistris scholae Altenb. Mich. Listio, Chr. Ludewicho, Conr. & Crausero, Rectori commisit. Ex qua noster a. 1659. Lipsiam progressus est, nactusque ibidem patronos & praeceptores Kühleweinium Schwertnerum, Hufanum, Suendendorferum, Eckoldum, & Romanum, laetiores in iure processus fecit, adeo, ut litteris optime instructus, se ad praxin usumque forensis referret, & a. 1663. Altenburgi sedem fortunarum constitueret. Ibi cum partam sibi iuris intelligentiam assiduo tractandorum negotiorum usu perpoliisset, & patronus iustitiae contra aliorum accuratas orationes saepe fuisset, dignus est iudicatus, qui Actuarius & postea administrator iustitiae in praefectu-

fectura Altenb. constitueretur. Quanquam autem publico commodo natus videbatur, aetatem tamen suam vltra annum quinquagesimum proferre non potuit. Nam mortuus est d. 9. Martii a. 1695. Doctis innotuit *Praxi Criminali*, quem tractatum Excell. D. Christianus Frider. Keyserus, Serenif. Ducis Saxo - Goth. Consiliarius aulicus splendidissimus & Praefecturae Eisenb. Praetor longe grauissimus, antistes iustitiae sanctus & moderatus, quique laude nostra est maior, multis casibus, defensionibus ac consiliis locupletatum denuo in lucem edidit Altenb. 1710. in 4. apud Richterum Porro prodiit Georgii Keyseri *Asylum creditorum bipartitum*, quod modo laudatus D. Christ. Frid. Keyserus plenius orbi literato dedit. Altenb. 1711. in 4. apud eundem.

IO. GEORG. BREMIVS,

I. V. D. Ictus celeberrimus.

**H**ic in concione funebri suis manibus habenda, explicari, dictum seruatoris Matt. V. *beati pacifici, quia filii Dei vocantur*, volebat, idque, quod pacis studiosissimus. Erat enim in magna clientum & causarum frequentia pacis amantissimus,

hocque & famam nominis, & integri religione viri adeptus est. Patre Io. Bremio, praetorio viro Altenburgi 1658. procreatus, atque deinceps in schola patria, a Paulo Martino Sagittario, Rectore excellentissimo, aequae nobis in elogiis laudato, nec non a Schmalzio & Graevio, subrectoribus, rite litteris humanioribus imbutus, ac deinceps Ienae a Struuiio, Lynckero, Pet. Mullero, Beckmanno, Schiltero, Simone, Georgio, Spitzio scientia iuris auctus; & Lipsiae demum a Suendendorfero, Carpzouio & Lindnero in primis ad praxin forenses deductus atque perfectus. Anno 1680. ipsi a Facultate Iuridica illustri Ienensi insignia doctoris delata sunt, & Bremius quidem tam rite doctoris partes impleuit, ut in collegiis iuuentuti academicae leges luculentissime explicaret & instillaret; atque Ienae sedem fortunarum constituere quam optime posse, videretur. Attamen in patriam ex variis rationibus reuersus est, ibique ad praxin forenses se retulit, & officio Aduocati Regiminis cumulatissime satisfecit. Cum a. 1695. parens meus D. Frid. Gotterus Consul. Altenb. mortali conditione vitae cum immor-



mortalitate commutata, piorum aeternam sedem consequeretur, Serenis. Ducis arbitrio consultissimus hic Bremius constituebatur, vt senatui Altenb. a consiliis in rebus grauioribus esset, votumque consulis haberet. Anno 1707. d. II. Dec. ad Christum transiit, immo secutus trahentem est, relictis diligentiae ac doctrinae testibus dissertationibus iuridicis:

*de Frigusculo sub Pet. Mullero & ad Reg. Iuris*  
1678.

*de Dolo bono aduocati, sub praesid. Struuii 1679.*  
*de Imperitia & Infirmitate, pro gradu doct. 1680.*

SALOMO AUG. CLAUDERVS,

I. V. Licentiatus.

**C**lauderis, quos in elogiis nostris saepe laudauimus, libet & hunc addere. Salomo autem Augustus Clauderus in lucem prodiit d. 20. Apr. 1659. patre Iosepho archiatro Altenb. Hic est ille, qui in foro maxime inclaruit, quique a doctis non sine laude allegatur. In schola patria Rectore Wahllio egregiis in litterarum studio accessionibus locupletatus, lenamque delatus, iuris ciuilibus scientiam secutus est, qua reuersus iterum Altenburgum, ibique acquisitam iuris scientiam ita perfecit,

fecit, vt breui tempore principem iure-consultorum locum obtinuerit. Erat tamen meliori fortuna dignus, & magnis officiis adplicandus. Sed fati arcanas rationes religiosius nescimus & veneramur, quam exquirimus, neque curiose exequimur. Quod ipsi tempus a causis gerendis vacabat, cogitationibus vtilissimis transigebat. Hinc edidit *Informatorem Iuris theoretico practicum* Altenb. in 4. 1709. quo in cupidae legum iuuentuti tum succinctam iuris historiam, & allegata inueniendi rationem, auctorum cognitionem & materiarum seriem, tum vero maxime exercitium stili forensis, pro modo iura sua siue actor sit, siue reus proponendi & referendi proposuit. Eodem anno prodijt eiusdem *Inquisitus ex vario crimine defensus*. Tandem languore, qui satis diu & tenaciter corpus adfligeret d. 22. Martii 1709. ex hac vita exiit, laetusque migravit.

FRIDERICVS SCHMIDIVS,

III. Consistorii Altenb. Assessor & templi Cathedralis Pastor.

**H**Oc egregium patriae & seculi ornamentum Paulus Schmidius Diacon. Altenb. d. 7. Ian. 1661. protulit, inque spem

nominis folerter educauit. Hoc autem mature admodum mortuo, & veluti in herba succiso, inuenit noster Sagittarios & patronos, & patres, & soceros; namque se Paulo Martino, Schmalzio, Ernstio, Wahllo erudiendum dedit. Cum autem egregios in linguarum artiumque scientia perfectus fecisset, & eo vsque in hoc doctrinae genere subuectus esset, vt palmam plerisque sympalaestritis dubiam facere videretur a. 1680. pietatis illud nobile templum & doctrinarum sicut omnium, ita imprimis theologiae domicilium, Lutherique nomine clarissimam academiam, Vitembergam ingressus est, doctoresque in vario disciplinarum genere fortitus Calovium, Quenstadium, Waltherum, Mayerum, Donatium, Roehrenseum, & quem primo nominare debebam, Conrad. Sam. Schürzfleischium, eosque cupide sectatus est, ac sub Decanatu Constantini Zigra phys. professoris a. 1684. gradum in facultate phil. suscepit. Cum vero in eo esset, vt doctrinam suam specimine publico Vitembergae profiteretur (nam dissertationem de *pedilauio veterum* pro praesidio habendam iam elaborauerat) est a. 1687. Altenburgum

vocatus, vt concionatoris aulici munus fusciperet, quod etiam vsque ad annum 1708. magna Ser. Principis approbatione gessit, adeo, vt Superintendente nostro, Nicolao Franckio mortuo, ipsi splendidum Superint. Eisenbergensis officium proponeretur; quod omnino accepisset, nisi eodem fere tempore Iac. Dan. Ernstio, Assessor. Consist. placide extincto, Schmidio hoc munus oblatum fuisset: illud variis rationibus motus & cepit, & tam bene gessit, vt Excell. Brockio Super. Generali ex hac vita euocato, nostro vices superint. generalis clementissime demandarentur, quo officio splendido quinque fere annis rite est functus. In optima autem officii rerumque suarum administratione mors eum occupabat, & diem suum supremum, qui tamen non extinctionem, sed commutationem attulit loci, vidit vigesimum quartum Augusti a. 1623. Meritis inclauit magis, quam scriptis. Prostant tamen duae dissertationes eiusdem, altera de *Iohanne baptista*, altera de *Serpentibus ignitis populo Isr. diuinitus immisiss. a. 1682. Vitembergae habitae.*

ADAMVS GSWENDIVS,  
 primum Rect. Schol. Eisenberg. deinc.  
 Archid. Numb.

**I**s publico bono editus d. 25. Apr. 1665. in agro  
 Casckirchenfi Eisenb. Dioeceseos, familia qui-  
 dem tenui, sed honesta tamen, nam pater co-  
 lonus, qui propter implicationem rei familiaris ad  
 alia omnia potius filium, quam ad litterarum stu-  
 dia referre volebat, precibus tamen filii motus,  
 Adamum mittebat Numburgum, vbi nouus alu-  
 mnus inopia miseroque victu viuere & panem ni-  
 mis durum esitare cogebatur. Si enim illius vitae,  
 quam ipse conscripsit, fidem, quod merito facimus,  
 tribuamus, nullus in schola egentior alumnus,  
 nullus in academiis fortunis euolutor studiosus  
 fuit. Paupertate tamen magistra laetiores in stu-  
 diis progressus fecit. Namque cum sub clarissimo  
 olim Rectore Numburgensi, Tœpfero omni libe-  
 rali doctrina excultus, ac deinceps Ienae, a Schu-  
 barto, Weigelio, Sagittario, Hambergero, & porro  
 Bechmanno, Bayero & Velthemio praeceptis salu-  
 berrimis tam in philosophicis, quam theologicis  
 completus esset, at penuria coactus, Numburgi  
 institutione priuata puerorum vitam sustentaret,  
 peropportune accidit, vt Serenif. CHRISTIANVS,  
 piae memoriae a. 1690. scholae Eisenb. haecenus  
 triuiali, nouam faciem daret, & Rectorem Titte-  
 lium Diaconum Ronneb. Pfeiferum, Rectorem  
 noui Lycei constitueret: Gswendius commenda-  
 tione patroni vnici Franckii, Superint. dum vi-

ueret excellentissimi, in lucem protractus est, ac Conrectoris primum, biennio vero elapso, Rectoris munus adeptus, cui deinceps munia Diaconi in templo aulico ac ciuico adiuncta. Quamquam autem noster distaederet scholae & miro profus desiderio officii pastoralis teneretur, vt a laboribus scholae (quos quidem nouendecim annis tulit) releuaretur, attamen manumissionem consequi non potuit, quod rationibus iuuentutis quam optime videbatur conducere. Intelligebat id etiam Senatus Numburgensis, qui a. 1706. Laurentio mortuo, Gschwendium Rectorem scholae senatoriae praeficeret. Videbatur tamen hic finem rerum scholastrarum facere, nam mox ad ecclesiae munia obeunda adhibebatur, in quibus vsque ad archidiaconi dignitatem ascendit, at vero in rerum optimarum cursu extinctus est d. 28. Apr. 1722.

SCRIPTA:

- 1.) *Programmata, quibus memorabilia Eisenberg. proponit a. 1695. & sequentibus annis edita.*
- 2.) *Palaestra progymnastica 1697. Tedaе Salomoneae 1699.*
- 3.) *Petronii Satyricon puritate donatum 1701.*
- 4.) *Flores vallenses 1707. & 5. Memorabilia Numburgensia 1716.*

D. IO. MICHAEL HEINECCIUS,

Superint. Vic. General. Hal-

Quod bonis viris etiam extra patriam sedes fortunae parata sit, neque magnopere quaeratur, quam paruo sint ortu, quamque tenuibus olim gauisi facultatibus, exemplo suo probat tum hodie adhuc

adhuc in luce hominum viuens Io. Gottlieb Heineccius, Profess. Franecq. tum vero etiam Io. Michael non ita pridem inter beatos exceptus Heineccius, qui vtut patre Ioh. Michael, collega nostrae scholae tertio, viro quidem integro neque illiterato, sed copiis familiaribus admodum exiguis praedito Eisenbergae prid. Id. Decemb. 1774. natus, habuit tamen laetos tam doctrinae, quam dignitatis processus. Est enim in nostra schola & Ienensi & Gieslensi ab optimis doctoribus atque Francofurti ab haud poenitendo magistro, Iobo Ludolpho in litteratura orientali institutus; est variis peregrinationibus per Belgium foederatum, atque vt tunc vocabatur, Hispanicum, & vsu cum eruditis, imprimis cum Dan. Papebrochio, patre soc. Ies. & perlustratione bibliothecarum illustrium expolitus, est porro, cum in Iulia academia doctrinam suam tum legendo tum XXX. disputationes ventilando professus esset, primum a. 1699. Goslarum, vt Diaconi munus obiret, vocatus, & nouem annis ibi exactis 1708. Halae Sax. aedis S. Vlrici, ac post templi Mariani pastor primarius constitutus; est demum dignitates Superintend. Vicarii generalis, tribunalis ecclesiastici, quod est in Ducatu Magdeburg. Consiliarii Regii, Presbyterorum ac Diaconorum vrbis Hal. simulatque regionis Salanae inspectoris & Gymnasii scholarchae adeptus; est gradum Doctoris theol. a. 1707. Helmstadii consecutus. Ceterum ipsi summam copiam facultatemque dicendi natura largita erat, adeo, vt res omnes

omnes miro orationis flore ornare, & optime ornatas amplificare posset, neque tamen inani verborum sono, sed bonitate ac grauitate sententiarum omnes auditores, Principes maxime mouebat, & apud illos magna gratia florebat. Fanaticorum autem Helenam quod abominabatur & orthodoxae fidei doctor erat, multas simultates, vtut obscuras suscipiebat. Cumque praeterea tenuissima valetudine esset, inque pueritia iam graui quodam morbo tentaretur, retinere animum Deo dicatum in custodia corporis diu non potuit, sed eum, tristem aliquo ante obitum tempore & melancholia aliquantum tentatum, curriculo viuendi a natura dato recte honesteque confecto, seruatori suo die 6. Sept. 1722. reddidit.

M. IO. MICHAEL PRISCHMANNVS,  
Diaconus Eisenb.

**T**uum, beate Prischmanne, nomen, vtut aliquot iam annis terra obrutus iaceas, non intermortuum est. Nam ciues nostri tuam dexteritatem vitaeque integritatem pia memoria tuentur atque conseruant. Reapse etiam, qui in tumulo dolearis, dignus est, siue enim doctrinam tuam, siue eloquentiam, siue prudentiam theologicaam spectemus, nimis mature decedebas. Eisenberga te susceperat d. 29. Sept. 1675. patre Zacharia Prischmanno, Rectore huius scholae meritissimo, inque sinu, vt matres solent, accurate educatum Ienam mittebat, vt ex ore Bechmanni, Beyer, Hebenstreitii, Danzii, Treuneri, Hambergeri doctor



Etior euaderes, inque disciplinis tum philosophicis, tum theologicis recte informareris. Optime ibidem instructum te Lipsiam ire iubebat, quo in artis homileticae ratione proficeres, sibi que vel hac re commodum ferres. Voti etiam compos reddebatur patria, dum a. 1703. te scholae magistrum & Conrectoris munus rite suscipientem videbat & laetabatur, teque breui post verbi diuini praeconem in suggestu docentem attente audiebat, & Diaconi rerum sacrarum munus impigre exequentem colebat, & quem puerum vigentem tulerat, senem etiam, qui extremos exactae aetatis terminos contingeret, videre ac ferre praeoptabat. Quae est autem rerum humanarum vicissitudo, quae status nostri conuersio & inclinatio temporum, en charissime! vtut ecclesiae multum promittebas, & subinde ad maiora adspirare videbaris, te tamen Seruator die 16. Octob. a. 1712. ex sua, quam sedulo plantabas, vinea ad triumphantis ecclesiae societatem vocabat, vbi in augustissimum illud maiestatis diuinae domicilium receptus, promissam piis omnibus possides haereditatem.

CHRIST. WEISENBORN, Schol. Eisenb. Rectf.

**N**ON equidem putabam, futurum, vt huius doctissimi viri manibus elogiis meis parentarem, quippe firmo admodum corpore instructus erat, nobisque superuiuere videbatur; cum tamen ita voluerint fata, & merito amicis honesta ratione, inprimis studiorum commercio nobis coniunctis, eadem, & maiora etiam, quam aliis debeamus, corum-

eorumque actiones repetamus libenter, ac aliis narremus, laudi istorum indulgentes, ac iucundas praeteriti temporis vices illorum memoria recolentes: qui possemus Weisenbornii, nostri in academia Salana familiaris, inque societate Facultati phil. Adiunctorum Collegae, viri omnino clarissimi, inque re poetica ac litteris humanioribus exercitatissimi, quin imo in hoc, quod quatuordecim iam annis gerimus, officio scholastico, antecessoris meritissimi, in historia clarorum virorum Ducatus Altenb. praeterire? Nolumus tamen, eo quod amor forte in eum noster suaderet, veritati aliquid derogare, inque laude transire limites, inprimis, quod nuda illius vita iustam laudem habere videtur. Est equidem die 24. Mart. 1678. in agro, Siglizae, patre ipsius pagi colono, natus: attamen hic obscurus locus nomine Weisenborniorum lucem accepisse videtur; cum & magni nominis Weisenbornius Superint. Ienensis celeberrimus inde sit ortus. Pater, quem commode rebus domesticis & oeconomiae adhibere poterat, ob bonam indolem filium litteris dicavit, eumque primum in schola Numburgensi, deinde ob valitudinem a priuato praeceptore institutum Cl. Wenzelio, Gymnas. Altenb. Directori commendabat, cuius in manu etiam tam feliciter adoleuit, vt a. 1697. Ienam ingredi rite posset. Hic, vt facere exemplo maiorum solemus, primum in linguis orientalibus docentem audiuit celeb. Danzium, in philos. Hebenstreitium, Treunerum, in theol.

theol. Bayerum. Cum autem consiliis Iesaiæ Weisenborni iam Superint. & theol. prof. Ienensis vteretur, studia academica propius aggressus est, & Magistri privilegiis gauisus, frequenter in palæstra disputatoria stetit, opponendo aliis, aliis in disputationibus respondendo, aliis collegia aperiendo. Quibus rebus, & multis doctrinae speciminibus amplissima Fac. Phil. mouebatur, vt nostro Adiuncti locum daret: Cum vero academiam Ienens. duobus integris lustris suis scriptis & nomine illustrasset, a. 1707. clementissimi, dum viueret Christiani voluntate scholæ nostræ, vt eam regeret, & iuuentutem institueret, datus est: quod munus etiam quam optime eum adornasse, demonstrant multi ab eo bene instituti alumni, multique actus solennes, quos non sine applausu auditorum, ore discipulorum habuit. Vita illius, si annos numeres, breuis admodum fuit, anno enim ætatis trigesimo tertio a. o. r. 1712. mense Julio mortuus est.

SCRIPTA:


1.) XII. *Dissertationes academicae maxime Logicae quas pro praesidio Ienae habuit.* 2.) XII. *Programmata & dissertat. duae Eisenbergae.* 3.) *Der Kirchen-Redner, hic tractatus homileticus postea auctior prodiit.* 4.) *Politischer Leich-Redner in Frag und Antwort.* 5.) *Diuersae parentationes.* 6.) *Statera Latinitatis dubiae & variatae &c.* 7.) *Poëmata Ienae & Eisenb. diuersorum nomine composita sub Tit. Scherz und Ernst der blühenden Jugend. Leipzig 8. 1710.* 8.) *Gründliche Einleitung zur teutschen und lateinischen Oratorie, vwie auch Poesie, qui tractatus tamen ab ipso autore absolui non potuit, sed ex schedis illius a me ad finem perductus & luci expositus a. 1713. Ienae in 8.*

Elo-

Elogia horum virorum, qui partim ex nostra, partim Altenburgensi schola prodierunt, in hoc programme vel hac fini recensere placuit, ut alumni nostri exemplum aliquod diligentiae atque virtutis capiant. Produco autem iam tres bonae notae ac indolis iuvenes Primo CAROLVM AVGVSTVM MEYERVM, Petroberga-Eisenbergensem, iuvenem ad litterarum studia accommodatissimum, quique in schola nostra felices profectus est consecutus, suamque doctrinam, quae quidem in hanc aetatem cadit, actu quodam publico probavit; iam vero Musis nostris vltimum valet dicturus, oratione latina aget de *Sede animae, eiusque proprietatibus*. Oratiunculis propempticis *Casparis Froelichii, & Caroli Linckii* stipatus:

Secundo IO. GOTTF. THIENEMANNVS, Ezdorfio-Eisenbergensem. Hic iuuenis, quia optimo gaudet ingenio & diligentiam lectionibus nostris adhibuit, dignus est, qui rebus academicis applicetur. Suos vero profectus ut olim actu publico ostendit, ita eosdem oratione de *variis eruditorum societatibus*, quae nostro aevo florent, demonstrabit, Io. Sam. *Marckmullero*, & Io. *Christ. Hoffmanno* abitum gratulaturis.

Tertio cathedram conscendit IO. FRID. SEILER, Abbrodenf. Mansfeld. adolescens commodis moribus instructus, quique bene in suscepto litterarum cursu progreditur. Hic exercitii causa orationem de ostracismo Atheniensium habebit. P. P. Eisenbergae III. Octob. a. o. r. MDCCXXV.



VITAE

CLARISSIMORVM VIRORVM

BARTHOL. MEIERI, CASPAR. BOHNERI,  
CAROL. CHRIST. SCHALLINGII, IO. GE.  
BETERI, MICH. CHRIST. POCARI  
ET FRID. FRISII.

BARTHOLOM. MEIERVS,

Altenb. Vectigalium Thur. Erfurti  
praefectus superior.

**P**Raeclarum est elogium, quod hic ab  
academia Erfurtensi in programme  
funebri accepit, vocatur enim vir magni-  
ficentia scientiae & theoretica & pra-  
ctica eminentissimus. Natus est Altenb.  
die 24. Aug. 1559. patre Andrea Meiero,  
macro-xenodochiali praefecto. Studia  
sua Halae Sax. inchoavit, praepceptorem  
nactus Ios. Ladislaum, Rectorem, omnium  
grae linguae eloquentia disertissimum vi-  
rum. Positis ibidem fundamentis, celebri-  
ores academias, Witembergensem, Lipsi-  
ensem & Ienensem visitavit, ac tam felici-  
ter in litteris profecit, vt patroni illi mu-  
nus Conrectoris in schola Palaeopyrgica  
offerrent; quod tamen recusavit, & aliam  
secutus est vocationem ad privatam in-

G

for-

formationem nobilium puerorum Dom.  
de Wolfersdorf. Anno autem 1598. a Ser.  
Duce Saxoniae IOHANNE dignus iudicatus,  
qui Ser. Principibus filiis vt Informator  
praeficeretur. Hac re meruit, ut a. 1618.  
a Ser. IOH. CASIMIRO Vectigalium Thuringi-  
acorum, quae Erfurti colliguntur sum-  
mus praefectus sit creatus, quam splendi-  
dam functionem vsque ad annum 1646.  
egregie obiit; hoc autem anno est mortuus.

### CASPAR. BOHNERVS,

Consistorii Duc. Assessor.

**N**atus Freyburgi est 1587. 12. Apr. patre  
Caspere, redituum Ducalium Schlei-  
singae praefecto. Inter claros Altenb. viros  
hunc merito suo referimus, namque vt ut  
non scriptis inclaruit, meritis tamen &  
eruditione est consecutus meliorem, quam  
scriptis famam. Ad pietatis studium exci-  
tandum composuerat duos libellos, alte-  
rum, in quo praestantissima Scripturae  
dicta secundum titulos collegerat; alterum  
formulis orandi latinis, & versibus com-  
pleuerat, qui vero, quantum mihi constat,  
typis non sunt exscripti; fuerunt tamen  
in multorum manibus & cum gratia a no-  
stris

stris lecti. Bohnerus autem in Gymnasio patrio vsque ad vicesimum aetatis annum litteris operam dedit, dehinc quatuor Ienae, & Gießae ultra anni spatium moratus, Doctoris in hac academia gradum accepit, seque ad praxin forenssem feliciter retulit, & adeo hac re inclaruit, vt inter Assessores Illustris Consistorii Altenb. legeretur. Ad maiora quoque adspirasset, nisi praemature, anno nimirum 1618. extinctus fuisset. Libro, quem ex precibus collegit, hunc versum in articulo mortis etiam repetitum inscripserat:

*Expectata diu cum mortis venerit hora*

*Da pater, vt placide moriar, nec torquear aegre.*

CAROLVS CHRISTIANVS SHALLING.

I. V. D.

**E**T hic natiuitate est noster, nam patre Ludouico, Concionatore aulico Confessionario & Ill. Conf. Assessore a. 1627. Altenb. est procreatus. Cum in schola patria litterarum fundamentis esset imbutus, Gymnasium Coburgense est ingressus, ex quo a. 1648. studia sua Ienam transtulit, & a. 1656. insignia Doctoris in iure adeptus, Aduocatisque Curiae prouincialis, quae Ienae floret, adscriptus est. Hic vir mo-

deratus in vniuersa vitae ratione, qui alienus ab omni fastu, typho ac vano tumore, intra suam pellem quiete se tenuit, & a. 1668. pacide extinctus est.

IO. GEORG. BEYERVS,

Practor. Eisenb.

Cum in Elogiis ac vitis, quas scripsi etiam viros meritis claros produxerim, qui possem si Eisenbergensis ciuitatis conditionem & fata considerem, Beyeros praeterire? viros, qui vltra seculum floruerunt, & vt praetores vel consules ciuitatem institutis optimis moribusque honestis temperarunt. Primus, qui doctrina pariter ac meritis inclaruit, est Iohannes Beyerus, Scultetus & Redituum Ducal. Altenb. praefectus superior, qui satur vitae, satur facultatum, satur omnis generis beatitatis a. 1630. fatis concessit, & inter alios liberos reliquit filios, consules Georgium & Christophorum, quorum ille anno 1606. d. 17. Dec. hic vero a. 1616. natus, cumque quadruplici vice fasces gessisset a. 1673. denatus est. Verum Georgius Beyerus a. 1637. d. 17. Oct. genuit filium, Iohannem Georgium, iuuenem in schola Cizensi & academia Ienensi optime litteris institutum, et hae-

re-



redem maiorum virtutum : in cuius animo  
vera & prorsus ἀνυπόκριτος pietas erat, qui-  
que quicquid vixit, Christo vixit. Tredec-  
cies Cos. Vir teutonici oris & sine subdolo  
consilio. Omnem vitae cursum in labore  
corporis & animi contentione confecit,  
Affectus admodum aetate, natura tamen  
adhuc vegeta ἀποπεπληγμένος d. 28. Apr.  
1716. obiit. Equidem cum aetas eius fere  
octies solis anfractus reditusque conuer-  
tisset, inter viuos esse hic desiit, sed mortali  
conditione vitae mutata inter angelos vi-  
uere & esse cum Christo incepit. Sit cor-  
pori levis terra, & tuta quies!

MICHAEL. CHRISTIANVS POCARVS,

Archid. Eisenb.

**P**Lacuit Deo in ecclesiae suae emolu-  
mentum lucis huius vsuram concedere  
Pocaro a. 1665. die 16. Oct. patre Matthaeo,  
Pastore Bergsulzensi. Vix a nutricis vber-  
ibus ab lactatus litterarum figuras nosse  
didicit: imbutus deinceps pietatis chris-  
tianae doctrinis, in schola Cizensi sub stu-  
dio Rectoris celeberrimi Christiani Cella-  
rii & Conr. Christ. Koeberi tam laete  
profecit, vt optimas, tam latinae, quam  
Graecae linguae scriptores degustaret,

adeo quidem, vt relicta schola a. 1684. se Ienam verteret, operam Theologiae daturus: cui etiam sub Hebenstreitio, Io. And. Schmidio, Beyero, aliisque sedulam adhibuit curam. Eisenbergae innotuit informatione, quam dextre filio Excellentissimi, dum viueret Franckii, Sup. adhibebat. Inde factum, vt primum a. 1694. pastori Hohendorfensi surrogaretur, deinceps 1696. Diaconi aulici, ac demum 1707. Archi-Diaconi munera nascisceretur. Vitam autem suam, quam in officiis sancte & multo auditorum commodo gessit, morte finiit, sibi que aditum ad coelum patefecit die 30. Sept. 1715.

### FRIDERICVS FRISIVS,

Prof. Gymn. Altenb.

**C**uius potius vitam laudibus exornarem, quam doctoris olim mei, viri innocentia eximii, sanctitate praecipui, doctrina clarissimi? qui omnem aetatem, curam, ingenium, vires ἐν κατηχήσει καὶ παιδείᾳ optimae alumnorum disciplinae consumpsit. Creatus est Altenb. a. 1668. patre Augusto redituum Ducalium Rationario. Fridericus autem bonum & capax recta discendi ingenium singulari industria excoluit, tum in schola patria, sub Rectoribus Wahllio & Mullero; tum in academia Ienensi sub Danzio, Schmidio, Bechmanno,


manno, Treunero, tum Lipsiae etiam. Hic cum Magistri titulum & priuilegia acquireret, ac disputando pro praesidio, & aliis collegia aperiendo patriae innotesceret: vocatus Altenburgum est ad Sub-Conrectoris munus: mox autem ad Con-Re-ctoris ac demum Professoris officium promotus est. In officiis autem scholasticis satis defatigatus ad tranquillio-rem statum euocatus est a. 1621.

*Scripta:*

*Disputat. de Ferro natante, sub Praesid. M. Langii Jenae 1689. de Curiosa & superstitiosa Rusticorum Physica pro Praesidio Respond. Ritter. Lipsiae 1691. Eine Anvveisung zur Physica 8. Leipzig 1696. Kindische Fragen 8. Altenburg 1699. Historische Nachricht von denen merckwürdigen Ceremonien der Altenburg. Bauern 8. Leipzig 1703. Der vornehmsten Künstler und Handvercker Ceremoniel-Politica, als: das Ceremoniel der Schmiede 8. Leipzig 1705. der Schneider 8. Leipzig 1705. der Tischler 8. Leipz. 1705. der Beuttler 8. Leipz. 1705. der Battiger 8. Leipz. 1705. der Drechßler 8. Leipz. 1705. der Kürschner 8. Leipz. 1707. der Schuster 8. Leipz. 1707. der Messerschmiede 8. Leipz. 1708. der Tapffer 8. Leipz. 1709. der Weißgerber 8. Leipz. 1709. der Hutmacher 8. Leipz. 1710. der Buchbinder 8. Leipz. 1712. der Büchsenmacher 8. Leipz. 1712. der Kammgießer 8. Leipz. 1714. der Gürtler 8. Leipz. 1715. der Seiler 8. Leipz. 1715. der Fleischhauer 8. Leipz. 1715. der Rierner 8. Leipz. 1715. der Weißbecker 8. Leipzig 1716. Nachricht von dem bey dem Altenburgischen Gymnasio angefangenen Museo Curioso, nebst einer Continuation 4. Altenb. 1719. 2. Wunderwürdige Geschwister, I.) Cereus Peruanus angulosus minor. II.) Ananas, so in Fürstl. Luft-Garten anno 1717. geblüht 4. Altenb. 1717.*

INDEX.

Beyer. Io. Ge.	p. 100	ab Hendrich. I. Casp.	50
Böhner. Casp.	98	Heineccius Io. Mich.	90
Bremius Io. Ge.	83	Keyferus Ge.	82
Brock. Hen. Matt.	41	Loeberus Christ. Hen.	70
CHRISTIANUS, D. S.	18	Meierus Barth.	97
Clauder. Iac.	67	Müllerus, Bern.	6
Clauder. Sal. Aug.	85	de Pflug. Ge. Diet.	52
Colerus	2	Pocarus Mich. Chr.	101
Doehler. Io. Ge.	54	Prischman. Ioh. M.	92
Ernesti Iac. Dan.	72	Raabe. Iac. Iod.	8
Fischer. Mich.	66	Richter. Io.	12
Foerster. Frid.	61	Rosenthal, Gottf.	45
Freiesleben. Dau.	10	Sagittarius Casp.	34
Franckius Io. Nic.	77	Schalling, Carl. Chr.	99
Frisius Frid.	102	Schmidius Frid.	86
Gerhard. Io. Andr.	57	Trillerus Abr.	69
Gotterus Io. Christ.	4	Wagner. Hiob.	15
Gfchwendius Ad.	89	Weifenborn, Christ.	93







117.180

ULB Halle

3

003 067 947




M. F.









B.I.G.

Farbkarte #13

Inches  
Centimetres

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

M. FRID. GOTTHELF. GOTTERI,  
SCHOL. EISENBERG. RECT.

# VITAE

ILLVSTRIVM ET CLARORVM  
VIRORVM,

QVI DVCATVM ALTENBVRGENSEM TVM  
MERITIS, TVM SCRIPTIS MAXIME  
ILLVSTRAVERVNT,

QVIBVS

# ELOGIA

A. MDCCXIII EMISSA CONTINVANTVR.



IENAE,

Apud ERN. CLAVD. BAILLIAR.

A. MDCCXXXVII.